SERENISS. PRINCIPI

# CAROLO SECUNDO

*MAG. BRIT. FRAN. ET HIB.*

# REGI

## VOTUM CANDIDUM

# VIVAT REX.

---

*AUTHORE*

MAURITIO NEOPORTO *Anglo.*

---

*Editio altera emendatior.*

---

LONDINI.

*Typis Neucomianis* 1669.

# CAROLO SECUNDO
# REGI
## *Musa.*

VOtum offert tibi, Sereniſſime Princeps, e contubernio Poetarum meorum unus, ab animi integritate candidum illud quidem, ſed a doni impoliti ſenſu multo rubore ſuffuſum. In conſpectum tibi non auſus ſe dare fluctuabat diu, & cogitationum variarum æſtu in utramque partem agitatus modò erigebatur in ſpem, in metum modò revolvebatur. Apolline inconſulto nequid fieret, omitteretque illud ſolenne noſtrum, erat ab oraculo petenda cautio. Facere illi porrò neceſſe habebat. Sed a victima lautiore, ſeu Clitumni paſcuis vendicabat excuſatio fortunæ modicæ. Accidere demum ad aures viſa reſponſi vox ejuſmodi:

*Non tu pectus inhoſpitum*
*Tentas, quiſquis ades. Qui patet omnibus,*
*Nullum non recipit, ſinus.*

Diſceſſit enimvero lætus a tripode. Sed quoniam involvere ſe Deus obſcuris ſolet, ſuſpecta con-

 tinuò,

tinuò de cortinæ involucro aliquo ſententia fuit. Itaque ſinus ille hoſpitalis & capax, qui patet omnibus, & nullum non recipit, veretur Poeta meus, ut ſit admiſſurus ſe, qui nullus eſt. Sit nullus ſanè. tamen ſi ſuper inane illud & vacuum ſuum ferri ſpiritum ſenſerit benevolentiæ tuæ, ex nihilo fiet aliquid. At quale futurum iſtuc ſit, arbitrii tui eſt. ad volatilia cœli non contendit. creationis tuæ beneficio modò numeretur inter reptilia terræ, ſatis erit. in recognitione peculii tui, ſeu volet ille, ſeu reptet, numerabis, opinor, iu tuis, quod tuum eſt.

Vitæ, quod offert, Votum eſt. In hortum vitalem irrepere auſus decerptum e ligno Vitæ fruticem in chartas ſuas tranſtulit. Irrigavit, quantùm licuit, petito latice e fonte meo. at niſi calore foveatur radiorum tuorum, quàm timet, ne ſoli jejunitate protinus intereat! Deponit igitur ad pedes tuos hos qualeſcunque conatus ſuos; quos ſi vultu, quo cætera ſoles, dignabere, vitalitatis aliqua parte animandos etiam ipſos ſperat.

# LECTORI.

AMice Lector, me quoque Minervæ placuit aggregare ad noctuas suas. Equidem mei probè gnarus fugi hucusque diem. acproinde mirum non est, si emersus jam nunc e tenebris perstringi mihi oculos ad lucem sentiam. Venerunt pridem in manus Poetarum quorundam & præsertim utriusque Academiæ super adventu Principis gratulationes insignes. Et me pariter, cùm unus, aut alter annus intercessisset, ut retentarem aliquid in carmine, afflavit spirans ex Helicone nescio quis furor. quis enim nisi furiosus, hoc ætatis, post intermissas tanto intervallo exercitationes hujusmodi, quippe qui ab annis jam viginti, Thaliâ res suas sibi habere jussâ, ne ad carmen quidem unum vocem exercuisset, ad pangendum denuo accingeret se? Atqui non tam alienum ab omni modestia esse oportebat, ut vulgandas, sive in tabularii memoriam referendas censerem insulsitates meas. Insulsius fortè, quod pratexo, e trivio petitum illud, & sæpe affine mendacio. at asserere veritas cogit, & uerecundia suscepti operis. Anno propè integro, quàm apud me delituerant, interventu unius e familiaribus meis, ut emota semel mens procliuior fit ad lapsionem, instinctu aliquo novo adigebar, ut non satis mihi videretur insanisse semel. Non is erat, unde ciconiam, ut aiunt, a tergo pinsentem, sannamve posticam timerem. suspecta potiùs esse poterat de indulgentia humanitas amici, quæ in insipientia mea plùs æquo conniveret.

Erat carminis hujus ortus, ut ingenuè fatear, non aliunde, quàm a fortuito. Cùm incidissent semel oculi, quemadmodum aliàs sæpe, in vulgare illud, VIVAT REX, ad postem quendam affixum, subibat continuò tentare me in otio illo, an versum unum aut alterum

*alterum circa materiam propositam possem efferre. Ut aliud ex alio solemus peccare, currente postmodum rota, hic urceus exibat.*

*Absum longiusculè a bis puero. tamen in ordine crepundiorum hæc si quis locet, haud succensuerim. Atqui sunt ea, circa quæ, inter operas quidem succisivas, lusione aliquantùm laboriosa lusum est. & Poesim recognovi subsecivam rem haud esse. Interim si cui tantum otii erit, ut hæc mea legat, ne, quæso, sit ejusmodi, qui sciolorum instar de singulis conatus meos in quæstionem postulet. Quo in discrimine sim, luculentè video. sic enim ferè vel respuit vel admittit, ut quisque, dicto vulgi non nimis concinno, nasum habet. Cui unguentarius est, spirante surdum materia ipsa, in versu meo requiret onychem. Cui Cilix, seu Pæstanus, desiderabit hortum. Atticus ille & gracilis nonne Bœotiæ meæ obesitatem aliquam fastidiet? Eminentiori illi & sublato nonne humilia, & quasi Parnassi pedemontana jacebunt omnia? Et simulus contrà suus non nemini, credo, in deliciis est. huic, si quid emineat, tumere videbitur in Apenninum. Ab aduncitate demum illa, quam notare videor, (prô Averrunci fidem!) cui impune fuit? Aliqua non me fugit esse, quæ, si minùs instituti egressa lineam, certè producta seu excurrentia fortè videbuntur. quorum tamen, & caterorum, quæ suspicionem vitiosi habeant, circumspectio ea fuit, ut non dubitem, quin rationem plerisque omnibus probare possim. habebo gratiam, si præcipites ad animadversiones non fuerint. Imago spectanda, multùm refert, quo in lumine collocetur. Quicquid delirat auditor, poeta plectitur? non continuò aberro, si non percipior a quibusdam, quò collineem. Fateor me in argutiis consectandis parcum: quæ profectò, vinorum instar quorundam, gustatæ magis, ut inquit ille, quàm potatæ delectant. ab his me consultò abstinui; fortè quia non aliter valui, stupore in fastum verso. Malè mecum actum, si in Momum incidero. si solearum in Venere crepitus displicuere*

*Momo,*

*Momo, quid avena mea stridente fiet? Equidem in deliciis non admodum pugnax sum. id tantùm moneo. si sutor est, conficiat ipse soleam, quæ non crepet; si fistulator, compingat arundinem, quæ non strepat. denique, id quod eodem venit, siquis rigido me ungue vellicet, objicio tritum illud,*

Præstiteris sodes; laus ea major erit.

*Notetur imprimis non latuisse mihi Poematis genus aliud, Carolcida scilicet aliquam, plùs affecturum fuisse legentis animum: quod nimirum in Personarum varia inductione atque imitatione consisteret; quæ res Poetæ præcipua laus est. Cæterùm fieri istud vix potevat absque offensione. itaque commentari quid ejusmodi in animo nunquam habui. Id maximè propositum fuit, in Voti alicujus exhibitione, optare Principi Vitam diuturnam: Vitam jucundam, affluentem, & gloriosam; deinde Vitam æternam. Quæ per totum opus spargunturr, eò tendunt, seu ut Vota, seu ut Media. Quod ad materiam attinet, quòd in talem fortè inciderim, nondum piget. Quod ad carmen autem, dem negotii mihi satis, si, quid quisque sentiat, laborem. Legentium nemo est, qui non sciat*

sic tendere versum,

Non secùs, ac si oculo rubricam dirigat uno.

*Cùm, expensa conditione rerum, stomachari Lector desierit, quòd præter expectationem quid Ethicum potiùs, quàm Panegyricum in lucem ediderim, erit fortè, quando reditura cum illo sit in gratiam Musa mea.*

Unum id liceat addere, pergratum mihi fore, si priorem editionem anni 1665. quando præpropere omnia, ac tumultuario impetu agenda erant ob Pestem ingravescentem, quisquis apud se habet, abjecerit.

*Vale. Et, siquid dignum sit, quod ametur, ama.*

*Londino* 1669.

# *ERRATA.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| P. 25. l. 35. | *Pſal.* | Lege | *Sap. c. 9.* |
| P. 54. l. 11. | *didiſcet* | l. | *dediſcet* |
| P. 66. l. 32. | *Cornipidem* | l. | *Cornipedem* |
| P. 82. l. 17. | *Pertentat:* | l. | *Pertentant:* |
| P. 93. l. 17. | *Hidaſpeum,* | l. | *Hydaſpeum,* |
| P. 96. l. 7. | *ſublimor* | l. | *ſublimior* |
| P. 104. l. 17. | *Cymatologe:* | l. | *Cymatolege:* |
| P. 121. l. 15. | *Togæque,* (gine | l. | ſine commate. |
| P. 139. l. 12. | *Statuæ* in mar- | l. | *Statua* |
| P. 141. l. 12. | *celebs.* | l. | *cælebs.* ſeu *cælchs.* |
| P. 142. l. 1. | *alterna* | l. | *utrinque* |
| P. 143. l. 16. | *recingitur* | l. | *accingitur* |
| P. 144. l. 19. | *Defenſoremquæ* | l. | *Defenſoremque* |

P. 158. l. 36. in nonnullis paucis impreſſionibus per errorem, antequam adverteretur, impreſſum invenies *vamit* Lege vitam.

Quando occurrit *lauru*, *prophano*, *Folas*, *Fapyge*, *Fapyx*, *jaſpis*, *jaſpide*, *Farbas*, lege potiùs *lauro*, *profano*, *Iolas*, *Iapyge*, *Iapyx*, *iaſpis*, *iaſpide*, *Iarbas*.

Cætera corrigantur a benigno Lectore.

# VOTUM CANDIDUM
# VIVAT REX.

## PARS I.

*Optatur Principi vita. Vita cauſas in natura nullas certas habet. Eſt igitur a Deo expectanda. Quod inde circa Partis hujus finem concluditur, & cætera alia, quæ interjiciuntur, inter legendum Lector facilè animadvertet.*

EXtremum hunc, Parnaſſe, *mihi concede laborem.*
Regi pauca canenda meo. Ceciniſſe ſupremùm
Sic juvet, extremoque operi impoſuiſſe coronam.
Forſan erit, cui deſipiam: vacuuſque recedet
In ventos labor. An ductum probet ille cicuta
Tam tenui Princeps tantus (languente Minerva
Natum opus,& nullo quod ſplendet Apolline) carmen?
Sunt, quibus auguſti ſacras ad Principis aures
Contendat meritis quæſita ſuperbia, dotes
Aoniæ, Numen præſens, Vatemque ſonans os.
Sunt. Et adeſt— (*a*) Ut vultum ætas,& mentis honeſtat
Prudens canities! Illo per (*b*) regia rura,
Per (*c*) juga ſacra ferente pedem, Thamiſinaque Tempe,

Ingreſſus operis: cui ſe agnoſcit Author non admodùm idoneum.

*Mentio Poetarum aliquot noſtratium.*

*Circa quæ Lector hærere, ſeu hallucinari fortè poterit, ex iis explanari aliqua paſſus ſum ad paginarum calces. Adjici plura non probabatur. Mallem quandoque a nonnullis non percipi, quàm commentariis ridiculis ſcholam agere. Minutiis tamen paucis ineptire offenſionem magnam non habebit.*

(*a*) *Denham, jam ſenior.* (*b*) *Saltum Winſorianum:* (*c*) *Templum D. Pauli, & arcem Winſorianam in editis locis ſita, cum pratis eidem arci, & Thamiſi contiguis, Materiam cujuſdam Poematis Denhamiani.*

An montem quis Pierium neget, indigenaſque
In *(a)* Collem, Coopere, tuum migraſſe ſorores ?
Sunt. & adeſſe *(b)* Virum cerno, cui duplice vernant
Fronde comæ. *(c)* Modò ſiparii pacalis in umbra
Secubat, Inſubres olim, Auſoniamque ſecutus
Myſta tubam. At lauru germen decerpſerit illa
Quis mihi, Parnaſſoque meo ? Seu prælia, ſcenæ
Seu ludos parat, & Ludos, & Prælia miror.
Ecquis adeſt ? aurem Phœbo admoviſſe videbar.
Wallerus cecinit. Muſis ſolet eſſe vel ipſis
Lis anceps idem, dignuſque ſororibus error.
Ingenio vis altivolans, & Pegaſis ala.
Illa fretus adit nubes, (ſervare ſequendo
Quæ mihi det fugientem acies ? ) & ſidera tranat
Livorem ſuper, inſectanſque altiſſima *(d)* telum.
Et te quis tacitum interea, Coulæe, relinquat ?
Jucundum, ut ſolo notum mihi carmine, nomen.
Pindarica fidens, & verſicolore Camœna.
Coulæus : quo non alius facundior amnes
Cyrrhæos cantu ciet, Aonioque Latinas
Doctior in patriam deduxit vertice Nymphas.
Felix, ſi ſibi paruerat, ſpumamque juventa
Virgineæ non miſcuerat Cythereïda lymphæ.
Serta virent aliis non inferiora, nec afflat
Numinis aura minor. Liceat tacuiſſe. Tacenti
Gratia par debetur. Olor canat alter Olores.
Pergite Caſtalii patris lectiſſima turba,
Caſtalidum decus, & pulchro indulgete furori.
Sint proprius vobis amor & Parnaſſides umbræ,
Pirene, & Pindi nemus, & Permeſſides undæ:
Otia plena Deo, & populo ſecreta prophano.
His datur, his limen, Princeps, inſiſtere detur,

(a) *Poema illud Denhamii ſic dictum,* Cooperi collis.
(b) *D'Avenant.* (c) *Scripſit primò Gundebertum Longobardum. pòſt tranſtulit ſe ad ſcriptionem Scenicorum.*
(d) *Sic linguam invidam appellat ille.* βέλος ὑψίπετες.

Lauri-

Laurigeramque inferre tuis penetralibus artem.
Sim comes; at ſubeam pone, exteriorque ſalutem.
Non audet tantæ coràm ſe credere luci
Muſa rudis, cui rura ſuum allevere pudorem.
Quiſque pudens timet. Ipſa ſimul jam decolor annis
(a) Obſolet emeritis, toto cui vertice canam
Ætaſque, & labor, & curæ ſparſere ſenectam.
Quin & bis denos clauſit modò Cynthius orbes,
Et ſenium, & curas æqua dimenſus habena,
Cùm mentis mihi Pieriæ deferbuit ardor,
Languidiorque ſitis ſolitos accedere fontes
Deſiit. Ex illo, (b) cauſæ melioris hebebat,
Marte retuſo, ut primùm acies, me rura tenebant,
Damœtas inter, plenos & ruris Jolas,
Servantem ſylvas, & teſqua inhonora colentem.
Læſa dolent. & Parnaſſo ſua fortè querelis,
Ignoſcenda quidem, nimis eſt acclinis egeſtas.
Hic propriis ego, nec Patriæ communibus idem
Aggemui minùs, amota teſtudine, curis.
Ad ſalicem appenſa teſtudine, miſſa Thalia eſt,
Et choreæ, quibus accinuit feſtiuior ætas
Theſpiadum reliquæ; de pennatoque caballo,
Quàm (c) lachrymæ exilis quos elicit ungula rores
Nonnunquam, ſupereſt aliud nihil. (d) Umbra ſuperbi
Nominis apparet quædam. Laudatur; at alget. (unus
Id modò propoſitum eſt unum, ut, licèt agminis Propoſitio.
Extremi, ſanguiſque, ut dicitur, e grege mutus,
Cyrrhæ municipes ſaltem inter, & extima clivi
Per juga ſucclamem, VIVAT REX. Conſona voto
Candida vox, non fuſca meo. Proh, quis mihi vocem,
Mæonii vocem lateris det habere, meique

(a) *Obſolebant in illo dignitatis inſignia. Cic. in Ant.*
(b) *Regiæ* viz. *prævalente jam parte adverſa.*
(c) *Carmen* ſc. *aliquod triſtius, ut occaſio fert.*
(d) *Nomen, quod reſtat, a Caballo veniens, ecquodnam porrò iſtud eſt?*

Ad numeros voti? Libyam, sitientis & Austri
Illa domos, Boreæ gelidas & personet arces,
Hesperiique, & Mygdonii loca diffita mundi.
Audiat, assensuque per atria lucida vocem
Ingeminet cœlum, VIVAT REX: ille paterno,
Et patrio, & proprio surgens e funere Phœnix,
Gentium amor, Patriæ tutela, Propaginis aureæ
Læta bono nos e cœlo spectantis imago.

Æquum est, ut damna præteritorum annorum compenset dehinc Vita Principis longior, & felicior.

Hactenus aut rigidi Chalybes, feritasve luporum
Ductilis in Fati stamen, filicesve Geloni
Materiam fuso, ducendaque pensa dederunt.
Prima nuces cum prætexta quæ porrigit ætas
Et Divas habuit faciles, & lanea fila;
Donorum illa rudis tamen, imprudensque suorum.
Pòst, ubi creverunt anni, (a) puericia quamvis
Cum bulla vix dum Laribus transmissa pependit,
Heu facies rerum extemplo quàm ferrea visa est
Incurrisse oculos, flexumque ætatis egenæ
In primum vis curarum transversa ruisse!
An vos arguerim, Superi? num fidera læsa
Censuerim? Manet hæc Superis immota voluntas,
Ut, quem ad magna parant, explorent magna: nitescat
Et tyrocinii vario ceromate Virtus,
Quæ laudi nata est: rerum illa in pulvere multo
Versanda, & sole a multo ductura colorem.
Te quoque, ut esse, quod es, posses, quem grandia finxit
Ad merita exortis palmæ supremus Aliptes,
Par erat esse tui testem, Vir magne; probandæ
Dura rudimenta, & certamina cruda palæstræ
Debebantur: erat tentandum his ignibus aurum,
Ex quo nimirum mox essent secula genti
Aurea procudenda tuæ. Nunc orbita rerum
Vertitur, & facies subit altera. Damna prioris
Fortunæ, & fati frontem, rugasque juventæ
Ut pensent læti soles, annusque repexo

(a) Actæ rege alio non puericiæ. *Hor. in al. Edit.*

Venturæ

Venturæ lucis radio productior, æquum eſt.
Et quoniam eſſe Deas fama eſt Heliconia, Parcas
Nomine, lanificas, fuſi vertigine ſacra,
Quæ ſtatuunt nobis in vellere ferrea jura,
His ne commoveam bilem, libare fluenti (eſt?
Quis laticem modicum vetet, & prenſare quod uſquam
Ergo Deas ſupplex affabere, Muſa, ſuperbas?
Ambiri affatu blando, & prece ſupplice Numen
Auſterum petit. Annuerint modò, multa tabella
Pendebit templo; & Lacheſis, quod (a) odoret, habebit.
Deducant penſum dices ut pollice lento?
Hærere ex illo dices nos, noſtraque filo?
Multa colo veniant ut vellera? multaque migret
In fuſum colus? & damnis cùm cœperit hujus
Ille tumere, novo dices diſpendia ſumptu
E calatho præſtet manus impigra? Staminaque addant
Staminibus, vox ſi qua lucri ſonet inde, ſorores
Vel mea, Rex auguſte, tuis? At bruma peredit
Lanam multa meam, & traxerunt penſa rigorem
E ferro multum. (b) Dices, geniale Juventæ
Ver ut depectant potiùs, byſſiqne recentis
Delicias, tenera Euterpes quas inſula mittit?
Fila nec inde mihi tantùm pete. Sidera ſi quid
Riſerunt, ſi quid Phryxeo e tergore carpit
Phœbus, ubi veris currus in paſcua ducit,
Immittant filo dices? Procul illa maligno
E tribus illa ſoror cum forfice: torpeat illa
Jam Majeſtatis pridem rea dextera (c) læſæ.
Verùm age, flecte aliò. Mortis qui vendicet annos — Mors certa.
Immunes, atque imperium fatale recuſet,
Nemo ſit. Æterna pendentem ex arbore vitam

(a) *Sumitur pro* odoratum reddo, *ut apud Ovidium Metam.* 15. *& alios; ſeu in activa voce pro* odoror, *vel* olfacio, *ut apud Cicer. poſt reditum.*
(b) *O Muſa, videlicet, ut antè.*
(c) *In Carolo primo.*

Non

Non opis eſt noſtræ contingere. *flammeus* arcet
Excubitor, telique minax *verſatilis* ira.
Debemur morti, qui naſcimur; ex uteroque
Addicti dominæ nomen tranſcribimus urnæ.

*Mortis certæ tres cauſæ præcipuæ.*

Quæ mortem efficiunt certam, ſunt multa. Vel ipſo
Cauſa tibi prima eſt a corpore. Nonne vides, ut
Principia ingenuit maſſæ diverſa Prometheus
Corporeæ, quæ continuis, certamine cæco,
Inteſtinum odiis ſtudia in contraria Martem
Exacuunt? Socia illa quidem, hoſpitibuſque Penates
Confuſi, tamen æternas diſcordibus armis
Exercent inimicitias, & vulnere ſemper
Civili perimunt, pereuntque. Hinc aſpice, partis
Fulturam alterius, primævam in corpore partem;
*Materiam* appellant, qui cudunt nomina, *primam*.
Illa novos, jam jamque novos, diſcrimine nullo,
Sollicitat thalamos, tedæque oblita prioris
Innumeras ambit non æqua in fœdera Formas,
Mox alios, & mox alios meditans Hymenæos.
Hoſpitis occurſu alterius, dum tædet amorum
Inſtabiles animos veterum, prior interit hoſpes.
Interitus una hæc omnis perhibetur origo.
Præcipuam te ſacra tamen docet exedra cauſam.
Peccatum Mors ex pacto manet. (*a*) Icimus. omnis
Conditionem adiit Natura: ſpopondimus omnes.
Inde, ubi perfidiæ ſub malo ſemina fovi,
Exequiis tuba continuò, pompæque futuræ
Præcinuit, cineres indixit, & impia buſta,
Legemque, injecto tabulis (*b*) ter pulvere, ſanxit
Æternam Prætor. Canit importuna volucris
Inferias, Hortique ululant ad limina Diræ.
Vixit avus, ſeri vivunt hac lege nepotes.

(a) *Huc ſpectat, quod circa æs, æneamque libram addit Caius præter cætera, lib.* 1. *inſtit.*

(b) *Alluſum ad morem in funereis uſitatum.* Injecto ter pulvere curras. *Horat.*

Et

Et quamvis meritorum alis ſubvecta tuorum
Fama tuum, Princeps, portat ſuper æthera nomen:
Quamvis denſa fores incingunt arma, tuumque
Terra equitem tremit, & Neptunia marmora Tiphyn:
Amne ſinus quamvis illabitur Heſperis aureo
Unda tuos, & Gange, (a) tuo modò, gemmeus exis:
Pulvis es. Et Titulos, & Opes, & Prælia pulvis
Excipit. extrema eſt in pulvere linea rerum.

Certa ſuas Mors ſub leges vocat omnia. Vitæ — Vita incerta.
Nec ratio eſt incerta meæ minùs. omnibus uſu,
Mancipii ritu nulli data vita. Nivoſo
Vertice præterito, viridem Mors ſæpe juventam
Inſequitur: ſæpe enervis cervicibus, & quas
Devovit telo Morbus, feſtiva pepercit,
Florentes aggreſſa. Ithacæ nunc illa geniſtis,
Nunc Libano falcem ambiguam, & frondentibus infert
Phæacum ſylvis. Ut cuique ſit obvia, tondet
Nunc humilem, nunc regalem Proſerpina crinem.

Muſa file. ingentem renovas incauta dolorem. — *Hîc mentio incidit de Maria Arauſionenſi. In Angliam veniens e Batavia Fratres reduces inviſum moriſur.*
Nam ſubit, hunc noſtra ludum quàm nuper in aula
Inſultans oſtro Dea luſerit. Advena fratres
Inviſit ſoror. at venit, trahe carbaſa Nauta,
Non reditura. O virginibus deflenda Batavis,
Nympha Britannine, & multùm deflenda Britannis,
Et Regum ſoror, & ſoboles, & regia mater!

Et tabulis te regalem fatalibus addit — *Item de Henrico Duce Gloceſtrio, e tribus fratribus uno, paulò antè mortuo.*
Mors incerta ſui teſtem, fatumque refiget,
Gloceſtri, vis nulla tuum. Fraterna Sororem
Teda præit; lenti Fratrem ſed ponè ſequuntur
Luctus, & trahitur curarum in longius ordo.
Pulla mihi mens exuitur cum veſte? receſſit
Ex oculis, non ex animo. Sed figere certos
Mœrori decuit fines. Et fortè latentem
Quæ lachrymis ſalis inſperſit Natura ſaporem,

(a) *Ex conventis nuptialibus, quibus ceſſit ſub ditionem Britannicam pars ibidem aliqua Indiæ Orientalis.*

Ut

Ut ſaperent, eadem monuit. Sapuiſſe licebit,
Cui doluiſſe parùm ſatis eſt. Proba lachryma tardè
Aruit. Et quædam, perhibent, eſt flere voluptas.
Parca magis nulla eſt, minùs invidioſa voluptas,
A lachrymis quàm quæ trahitur, gaudetque dolendo.
O bene, ſi, fueras quàm felix indolis, ævi
Tam fueras felix. Meritis qui præterit annos,
Incuſatque moræ, ſibi deſtinat arbitra cano
Parca ſenem in puero. Profugo dant extera mitem
Tecta Larem: reduci limen natale pheretrum.
Eſt aliquid preſſiſſe oculos, & frigida ſaltem
Oſcula ſic (a) poſiti repetiſſe. Suprema manebat
In fatis ſi perverſo tam funere præceps,
Nec votis inhibenda dies, qui ſpiritus eſſet
Henrico ſuper, extremum legiſſe decebat
Ore pio Patriam, dederat quæ provida primum.
Ereptum nobis querimur? ſua dona repoſcunt,
Indigniſque diu Superi permittere terris,
Quæ maturavere, negant. Si fabula nobis
Vivitur, haud melior ſemper, quæ longior exit.
Anglia, parte ſui quanta minor! unica gentis
Spes non illa quidem, tamen e tribus occidit una.
Dives virtutum, patriorum dives amorum,
Laudum dives, inops (ſic Dii voluere) dierum.
Sic voluere? novo ut tantus redeuntia fluctu
Gaudia inundaret dolor? ut crudeſceret ictu
Irritanda novo propè jam coitura cicatrix?
Ut ſidus, quod natali regione refixum
Errore ignotos longo peragraverat orbes,
Cœlo deinde recens patrio, ſphæræque receptum
Axe ſuæ, ſtatione iterum peiora moverent
Imperia, exilii æterni miſſura ſub umbras?
Quid vitæ flore in primo ſpem divitis ævi
Oſtendiſſe juvat tantam, ſi flebile germen,

(a) *Vocabulum funebre apud veteres, ut apud Virg. de Anchiſe, & Pallante.*

(a) Funeribus

(a) Funeribus tantùm ornandis, animæque futurum
Spargendæ decus, ante diem malè ſedulus unguis
Demetat? Egregium juvenem quid fervida refert
Tot vada Fortunæ ſuperaſſe, quid ariete portum
Votivo rubuiſſe, Noto inſultaſſe coronas,
Suſpendiſſe pium Galateæ in littore veſtem,
Servato ex undis maneat ſi naufraga terra?
Siſte. polo Phlegram indixi. bellaſſe Typhœos
Hoc erat, æternæ Mentis moviſſe receſſus.
Sic voluere? ſat eſt voluiſſe. His certa voluntas
Hæc ſedet, incerto rerum ut diſcrimine verſent,
Quicquid obit ſemper ſibi diſpar orbita, Lunæ.
Atque hic (ne tenues pigeat divertere mentem
Ad caſus) meminiſſe libet, cùm regius olim
(Sex illi brumæ, vix ſeptima fluxerat æſtas)
Chelſæi curru ſublimis in æquora campi
Ferret iter puer, &, placidè aſpirantibus auris
Occiduam in lucem, cælo frueretur aprico:
Ecce novi tranſverſa fremunt ab Japyge nimbi,
Incumbitque ſolo Caurus ſpirantior: & mox
Pulverea in cumulos ſubvolvitur undique nubes.
Inſurgunt tenebræ campo magis, & magis ater
Aggeritur turbo. deſcenditur. ocyùs omnes
Vicini greſſum advertunt ad (b) littoris oram.
Hic, ut erat ramis, & ceſpite fultus odoro,
Prætereunt properæ per cærula fervida cymbæ.
Cymba volat: ſociis nec deeſt ſua lintribus ala.
Tonſæ addunt animos, adductis crebra lacertis
Palmula plaudit aquas, alacrique celeuſmate remex
Prima novum e tranſtris in vota vocat (c) Melicertam.
Clivoſæ ille ſupèr recubans in margine ripæ

(a) *Alluſum ad illud de Marcello, & conſuetudinem veterum accumulandi tumulos, ſeu animas puerorum floribus, ut apud Virg. Æneid. 6.*
(b) *Ad ripam Thamiſis.*
(c) *Ducem,* ſc. *Glocceſtrium.*

Despectat celeres immoto lumine fluctus:
Seque undis jam tum solers agnovit in illis.
Namque videbat, uti per ripas impiger amnis
Ferretur cursu denso, spacioque liquenti
Se fugientem in terga sequens, fugiensque sequentem;
Incumbensque sibi, facili declivis in alveo
Communem ad gremium devolveret agmen anhelum.
Respectans inde ad comites, Me fluminis hujus
Me signat præceps, inquit, fuga. Pectore cedunt
Injussi gemitus, suffusaque lumina rorant.
Hoc distant uno Thamisi mea tempora. prono
Ille ubi pauliſper defluxerit amne, supino
Tramite flectit iter, festoque revolvitur æstu.
Cursus ut exigitur meus, irremeabilis esto.
Limes & est forsan non longè dissitus annis
Ille meis. Absiste puer. mala verba procellæ
In vacuum vertant, in nubes irrita venti.
Sed neque verba tulit ventus, neque verba procellæ;
Debita erant ventis; at fluxa loquentis ab ore
Eripuit Deus, & fatis adamante revinxit.
Ergo, Puer miserande, tuis cùm læta redirent,
Invidere, face aversa, tibi sidera. Nobis,
Te nobis inviderunt. Sed rumpere (a) nodum,
Quem triplici tanta implicuit concordia nexu,
Non nisi (b) falce minax, cœlove indignius astrum
Debuit. At Superis, credo, nimis Anglia felix
Visa malum pœnis nec dum commune piasset,
Tu nisi vere tuo steteras redimitus ad aras.
Complesset paucas tenuis modò si mora lunas,
Lætitiæ testis fraternæ, & nuncius isses

(a) *Trium scilicet Fratrum.*

(b) *Saturnus olim cælo pulsus. Causa ea stella vulgò habita Exanthematum pituitosorum: quo morbo Princeps interiit ante solennem inaugurationem, seu coronationem fratris: quæ nimirum peragebatur Anno 1661. Mense April. die 23.*

Sollicito

Sollicito (a) Genitori. Illi caſtiſſima gentis
Narraſſes ſtudia, extinctæque piacula noxæ :
In populo patriam, in nato rediiſſe parentem.
Narraſſes dignam ſole, auſpiciiſque Deorum
Affulſiſſe diem, (O pulchro ſata (b) patre propago
Pulchrior, expectata dies ! ) qua vertice fulvo
Imperium ſedit triplex, & amabile pondus
Appreſſit tota feſtiva Britannia dextra.
Narrantem cœtu quanto, quàm limina circùm
Stipaſſent fremitu proceres (c) prætoria læto,
Heroum genus, Heroumque in nomen ituri,
Pro patria vitam qui projecere, ſacramque
Purpureæ ſparſere animæ libamine cauſam !
Sancte vale interea Juvenis, longùmque valebis.
Non alio ſanè decorem te funere, quàm quod
Inſtruxere tuorum amor, interceptaque vota,
Virtuteſque tuæ. Qualis roſa, candida qualis,
Seu rubra, (gentilem (d) ſpirans viret utraqve famam)
Quam Cypris ante alios Floræ dilexit honores,
Stricta noti penna æſtivi, fluxoque ſoluta
Vertice, decidua in ſeſe, in gremioque ſepulta
Ipſa ſuo, fruitur nativo funere : talis
Ipſe quoque in te decumbes, roſeoſque jacebis
Inter, quos tua fama tibi diffudit, odores.
Quæ reddunt vitam incertam ſunt plurima. Vati *
Adde gradum comes, & mecum interiora recede
In Vitæ ſpatia. Objicitur via prima tuenti
Indiſcreta, ducemque petens iter. Inde videri
Poſcet opus, laudari opifex. Viden' ? Ecce potentis
Imperii, quinis inſtructam ſenſibus, arcem,
(e) Sedem Animæ dictam. Solio ſubnixa frequentem

* Vitæ incertæ rationes varias dant etiam multa in corpore humano.

*Caput : ſedes ſpirituum animalium. Hi ſi effluant, ſeu per medullam ſpinalem obſtruatur illis aditus, vita continuò labat.*

(a) *Carolo primo, jam antè ſublato.* (b) *Sole ſc.*
(c) *Patris videlicet extincti.*
(d) *Pertinet utraque ad familiam regiam: Rubra Lancaſtrenſis, Candida Eboracenſis.*
(e) *Sic, ſecundum Platonicos.*

Illa regit populum, legumque in fœdera miſcet.
Hic *(a)* animæ graciles illæ, vitæque volucres
Ingeniis fervent primis. exinde benigno
Nervorum ductu, fœtu gliſcente, per artus
Diffugiunt, molemque agitat vis ignea totam.
Inſtabiles certo teneant quæ vincula nodo?
Hæ ſimul effluxere, fatiſcimus: omnis & unà
Vita fluit, tenueſque vigor concedit in auras.
Implicat hinc nervorum apices teſtudinis arcu
Convexæ in ſummo *Meninx*: hinc tortilis ambit
*Ventriculorum* oras ſeries; tum nexile caſſes
Laxat *Retis* opus, properi queis ſanguinis hæret
Intercepta errore ſuo fuga, *Spirituumque*
Progeniem incluſam mora nutrit, idonea donec
Principiis animos teneris ſuffecerit ætas.
Devexam inde vides Cerebri ad confinia maſſam?
*Spinalem* ludi vulgò dixere *medullam*
Pæonii. Stipata fibras quàm vertebra denſas
Colligit! His partes Motuſque, & Senſus in omnes,
Et virtus animæ ſpirabilis, & teres aura
Funditur. At pateant aditus. Obduntur? in artus
Irrepſit Mors: & labefacta repentè ſilentem
Vita dat, infeſto ceu *(b)* ſidere tacta, ruinam.
Quo tu cunque aciem converteris, undique fibris
Objicitur cæcis textus labor: undique nervos,
Et venas premit indeprenſus, & invius error.
Vita cave. Fati furtis accommoda fines
Multa tuos intra cerno loca. lumina mille
Quis tibi, mille tibi excubias accommodet Argus?
Cor hinc digreſsum excipiet. notiſſima Vitæ
Regia: prætulerim reliquis quam ſedibus unam.
Huic & opum, decorumque, & famæ credita ſumma eſt.
Hæc, ſi quando recluduntur fatalia belli

*Cor: ſpirituum vitalium, & caloris ſedes. Hic ſi nimis efferveſcat, vitæ periculum pariter eſt.*

(a) *Spiritus animales.*

(b) *Apoplexiam hanc, quæ venit ab interceptione ſpirituum animalium, ſiderationem aliqui vocant.*

Limina

Limina, vitaleſque laceſsunt claſſica fines;
Perfugium extremum, & rebus fiducia feſſis.
Hic illa, ignivomis quam ſuſtulit axibus olim
Japeto ſatus, æthereæ pars optima prædæ
In penetrali adyto poſita eſt. At ſiqua ſororum
Intemeratarum, canæ comes addita Veſtæ,
Aſſidet huic etiam pernox antiſtita flammæ,
Pervigil eſto. hac incolumi res ſalva: perimus
Extincta. Quid ais? Vitæ uſqueadeone propinquo
Nullus ab igne timor? Genitalia quatuor inter
Corpora, tam fines ultra Telluris, & Undæ,
Aereaſque domos, habitat cur extimus Ignis,
Uſuque a noſtro longiſſimus? An quia nuſquam
Illi tuta fides? Certe naſcentis ab ævi
Exortu, ſeclis volventibus, affore tempus
Præſenſit Natura ſagax, cùm tota laborans
Eximii moles operis conſidet in ignes:
Circumfuſo ingens porrecta ſub æthere moles
In cinerum cumulos abitura, levemque favillam.
Hoc metuens noſtris longè ſummovit ab oris
Peſtem indignantem, hinc nocturnos lambere currus
Juſsa, relegataque facem ſubmittere Lunæ.
Luna cave. petit alta ſuperbia. flamma ſuperba eſt.
Viſceribus Vitæ in mediis tam fervidus hoſpes
Hæſerit? at nutrimentis incendia fomes
Admotus nimiis ſi paverit, hei mihi, flammæ
Nonne Veſeva minùs, quàm quæ mea, viſcera torrent?
Perge. viæ fax prælucet. Circumſpice, quanto
Concurſu Cordis ſubeat conclavia Sanguis.
In vultu rubor; at quali conchylia lanam
Ambigua, & primo Sidon infecit aheno;
Qualis, ubi vix dum ſtratis excita ſeniles
Sub lucem erubuit thalamos Tithonia primam:
Et jejunus adhuc, & diſcolor. inde ubi fumos
In graciles vitium exudans excoxerit ardor,
Fulgor inardeſcit novus, imbuiturque renidens
Uberiore anima, coccoque ſimillimus humor.

*Sanguis: vehiculum ſpirituum vitalium.*

Jamque

*De circulatione hac post Harvæum, Medicum nostratem, alii modò fusè.*

Jamque viæ accinctus patulæ succedit *Aortæ*;
Primum ingressus iter. pergentem tramite recto
Deducunt medium Natæ, multæque salutis
Affatu tradit citimis *Arteria* Venis.
Panditur inde sinu lato *Cava*. Cordis in illo
Flos, & amor, Vitæque opulentia navigat alveo.
Dicta *Chilis*: (Matrem Venæ dixere minores)
Dignanda *(a)* Eridani fatis, affunderet illi
Styx nisi sæpe suam nebulosò e splene paludem.
Hinc ubi discessum, viden', ut *(b)* collegit, iterque
Corripuit spatia interior per proxima lævum?
Ad thalamum Cordis dextrum deflexit. at inde
Protinus obnitente propellitur hospes ab æstu:
Quàque *Arteria* per bibulos *venosa* meatus
Spargitur, Æolias *Pulmonum* appellit ad oras;
Siste. via forsan fessos levet aura. faventes
Crebrescunt animæ. Vicinis ignibus afflat
Quàm tempestivum plaga pulmonaria frigus!
Pulmo tumet gravidus, tum detumet: impiger auras
Concipiens auras enititur. Obvia si qua
Vis animæ portas oppreserit, æstuat intus
Confligens regio ventis, & tota procella est.
Cernis, ut interea toto Pulmone viator
Purpureus flexus varios init, ambiguoque
Occurrens sibi circuitu, *Nervoque* receptus
*Venoso* tractus iterum, & penetralia Cordis
Læva subit, nota rursum condendus *Aorta*?
Hic virtus rerum est, & quicquid Vita decoro
Spirituum in censu numerat, congestaque gaza,
Herme, tuo, Pactole, tuo pretiosior auro.
Haud ego, si facilis verbo indulgentia detur,
Vitalis Fiscum regni dixisse verebor.
Et jam curatus Sanguis, multaque superbus
Vectura vitæ subductas corporis oras

(a) *Fluvii relati inter sidera.*
(b) *Dictum a nautis arma colligentibus.*

Invisurus

Inviſurus abit. Ledæo naviget aſtro,
A puppi ſurgente noto; comitentur euntem
Cymbiaque, & pecudes niveæ, pennæque ſecundæ.
Tuque adeo, ingenii dives, cui ſcilicet anguis
Infanti, ut perhibent, cunas, Epidaurius anguis
(Non alium reor) è cœlo demiſsus, amico
Ambiit allapſu, & vagitibus æmula primis
Innocuùm aſsonuere jocoſæ ſibila linguæ:
Quemque modò æthereos inter Latonius ignes
Excepit pater, amplexuque Ophiucus inhærens
Vincula ſpirarum collo dat ſquamea circùm,
Huc ades, Harveie: & facilem da ſidere curſum
Conſpicuo, medicæ pars O pulcherrima famæ:
Seque ſuas artes diſcat Natura doceri.
Eodem, Harveie, tuæ decurrunt tramite laudes;
Semper inoffenſæ, & famæ quem nulla prioris
Hactenus arte Machaonia tentaverat ætas.
Auſpice te, hoc inceptat iter: te Præſide, cœptum
Pergit ſanguis iter, cùmque oræ, te Duce, fines
Legerit extremæ, parteſque invexerit æquam
Annonæ mercem, curſum permenſus, ad omnes,
Inde, omni facto pede, te revocante, Penates
Ad primos remeat, ſumptu de more refecto
Ut ſolvat novus, æternumque recurrat in orbem.
Greſsum inhibe feſsum, Princeps. provincia feſſis
Cætera vix aditu facilis. Subſiſtimus? & jam
Tædet, credo, moræ: in tenuique operoſus, & otj
Nec parcus videor, nec inops. Ut (a) cerite plectar?
Haud equidem, te præſertim cenſore, recuſem.
Parce manu. culpæ venia eſt. At reſpice, quantæ
Sanguinis hanc Vitæque viam, & diſcrimine quanto
Obſideant peſtes. hinc lento frigore tabes,
Ingeniis illinc diſcordibus utraque bilis,
Inde gravis cæli morbo vapor, halitus inde
E fibra facer, & virus penetrabile, quali

*Sanguinis tamen hoc iter ſua pariter diſcrimina obſident.*

(a) *Cerites tabulas* ceritem ceram *vocat Horatius.*

Pocula

Pocula non infecit Atrax, non Theſsala mater.

*De Symptomatis, quæ accidunt, certiores nos facit Arteria.*

Una ſtat ad fines monitrix Arteria. quo res
Summa loco, doctus monitricem conſulit index.
Æquato micat in numerum, & ſibi redditur ictu?
Salvè. Subſultu vario ſibi diſſidet? hæret?
Intercurrit? habes. *(a) Myurum* porrigit? ægro
Increſcit timor, & medicæ qui ſupplicet herbæ.
Tardior intermittenti mora? ſuggere ceras
Extremas, puer. An *capreæ? formica?* ſub ictu
Falcis es. hunc exire tamen datur. Ecquis at ille
*Undoſæ* tremor infelix? ad tranſtra, ſudemque
Portitor, armeturque novæ ſcapha ſutilis umbræ.
An morbos memorem? an numerum ſubducere tentem
Tam numerem, quot Pleïadum ſub ſidere fluctus
Ex alto reſoni volvant ad littora Cauri.
Vita ſuis frondet foliis, ut frondea ſylva eſt.
Hanc quatit Autumnus ventis, Mors febribus illam.
Sylvam ipſe Autumnus foliis an pluribus, idem
An Vitam ſpoliet noſtram, *ſub judice lis eſt.*
Hic, Morti quot ſint aditus, tum copia Vitæ
Quantula ſubſidii, ſi mente pependeris æqua,
Certa cui lux hæc præſens, cui craſtina certa eſt?
In lunam cui certa fides extenta ſequentem?

*Neque tollunt hanc incertitudinem artes medicæ.*

Ecce tibi in foribus Podalirius atque Melampus,
Gens Epidauria, Phœbigenæ, gens (*b*) addita Parcis,
Cum tripode oſtentans artem, numenque paterno.
Nimirum in ſoles hi vitam ducere ſeros
Dant tibi. continuò Tegeæi e caulibus horti,

(a) Μύουρος *a medicis motus ſic dictus a muris cauda, quæ ſenſim uſque ad apicem minuitur. υ ante vocalem in antepenultimis in his tantùm producitur:* μυελὸς, πύελος, πυέλια, ὑέλος, ἀτυπήτης, μύουρος, μυοδόκος, ἐνυάλιος. *in cæteris omnibus corripitur, quantùm memini.*

(b) *Oppoſita, ut illud e Virg.*
Et Teucris addita Juno.

Et

Et frutice ignoto Neleïa pullulat ætas.
Neſtora tu vives totum, a cornicibus alter.
Adſunt, fatalem quinto qui (a) Melle retundant
Forficis importuni aciem. His Hermetica nomen
Ara facit, Liquidique auri panacea, Latexque
Flammeus e mediæ concha cogendus Erythræ:
Virus echidnæ aliis, Magneticus humor, Aliptæ
Ora polituræ ſenii, rugamque ſecundam.
Fallant hæc ſi fortè fidem, demittitur aſtrum
E cœlo, radioque nomiſmata ſimplice fingens
Sideream in terris dat (b) Taliſmanica vitam.
Carminis O vis Pæonii! Quid? & æthera (c) certum
Carmen habet? Terræ quovis e germine Parcam
Herba domat, pretii quam luteus irriget imber.
Vilia mi placeant, donumque ſalutis inemptæ;
Inque diem, quæ mox aderit ſuprema, trientem
Pollincto liceat curtum, Cymbæque reſervem.
Vos ego, cognatum genus, & quos Cynthius autor
Occultas adytis e nobilioribus artes,
Communis Deus, edocuit, nec falſa (d) Coronis
Subſtituit, non incuſem. Nos ut ſinat eſſe
Mortales, vos æternat Medicina. Potentes
Agnoſco, (e) diaſque manus exoſculor. at quas
Omnia poſſe velim nullus, quia poſſe videntur.

(a) *De nominibus medicamentorum ſimilium Renat. Moreau ad ſcholam Salernit. p. 14. ubi adducit Arteſium quendam gloriantem ſe illorum ope 1025 annos vixiſſe, atque id genus alia.*

(b) *De arte Taliſmanica videri poterit Gaffarel in ſuis Curioſis.*

(c) An habent hæc carmina certum
Imperioſa Deum? *hoc eſt, ad nutum ſibi obſequentem. Lucanus.*

(d) *Alluditur ad Nympham, ex qua Apollo fertur genuiſſe Eſculapium.*

(e) Θεὰ χεῖρες. *ſic appellati.*

Denique hæc incertitudo oritur a variis casibus.

Sit sanè, sic annuerint si Numina, Pæon
Omnipotens. veniant illi sub jura Podagræ,
Calculus, & Phthisis, & tota cum pyxide Febris.
Casibus at rerum a subitis, jactuque (a) canino
Cui cautum satis? E Samio nos nomine gentem
Ducimus. hospitio fragili Figulina recepit.
Fictilis (b) illa taberna? patet. succede tabernæ.
Vasa situ video quædam obsita, candida quædam,
Passa rotam impune, e viridique recentia limo:
Nec vitium sonat icta fidelia. Sunt, quibus ima
In cavea sedes: aliis, e divite massa
Quæ finxit peregrina manus, subsellia prima,
Orchestramque dedit formæ præstantia cultæ:
Nec mensis olim, nec Diis ingrata secundis.
Dic, quæso te, si forsan conjeceris, horum
Ecquod frangetur primum? Frangetur, opinor,
Casus, ais, quod primum aliquis colliserit, aut quod
Ad terram casus primum dejecerit. At nos,
Figlinæque premant nostræ quot limina casus,
Quis, cedo, quis numero comprenderit? æthere casus
A supero, a terra, mediis est casus ab undis.
Non est a senio timor? a levioribus annis
Esse potest. præceps nimis in sua damna juventus.
Fulmina vitaris? Phlegræi tegula teli
Præstat sæpe vicem. Non læserit ursa Libystis,
Non te Marsus aper? muscæ nocuere, suamque
Commodat & vermi patrio Mors sæpe pharetram.

Vita omnibus chara: Mors nulli non injucunda.

Chara tibi lux hæc meritò, votisque tenenda
Hæc vitæ statio est, Anima mea. Nempe ubi cœlo
Reddideris modicam hanc usuram lucis, inanes
Ingressura viam in ventos, ubi castra moveri
Jusserit extremo Prætoria tessera signo,

(a) *Canis, Venus, senio, alea prona, sinistra, & cæt. in aleis.*

(b) *Supponor ingredi cum lectore officinam aliquam vasorum fictilium.*

Quò,

Quò tendes ? nitidum cœli non ampliùs axem,
Non ſolis jubar aſpicies. linquendus avorum
Et focus, & quæ jam nullos habuiſſe feretur
Ara Deos. linques & quas tibi copia rerum
Fecit amicitias, & quæ tibi gaudia fecit
Rerum ſpe præcepta quies. oblivia Lethes
Sed neque ſola bibes : mox oblitura tuorum,
Mox obliviſcenda tuis. In viſcera Matris
Regreditur magnæ conſors tuus : inque parentis
Amplexu miſero abſentem te reſpicit unam
Abſens, & queritur non exaudiſſe vocatam,
Frigidus, & ſenſu, motuque, & lumine caſſus.
Culta quidem exangui ſtruitur domus : &, quia limo
E nitido veniens, & cenſum ſanguine longo
Multa genus cera, & fumoſa notabat imago,
Fortè ſuum tumulo decus additur, oſſaque ſignat
Inciſum titulis veniens e Perſide marmor.
O mendax lapis ! hanc aliud non incolit aulam,
Quàm (vulgus mutum) Vermes, & Pulvis, & Umbra.
Se novat, aut reparat res quæque : ſuumque, ſuperſtes
Ipſa ſibi, eludit funus. Titania, lucis
Noctivagæ præſes, poſt ægra ſilentia Phœbe
Et redit, & rediens extinctos ſuſcitat ignes;
Interit, & vaſto ſepelitur in æquore flumen,
Pòſt iterum ut fluat ; Autumnum populata comantem
Cedit hyems, cœlo redeunte : Favonius annum
Reſtituit ſibi, decuſſumque reponit honorem.
Tu, cùm decideris, Anima mea, nulla ruinas
Sarciet hora. tuos urget Mors integra manes.
Vita mihi chara eſt, mors injucunda. Sed hanc quis
Summoveat ? ſeros illam quis mittat in annos ?
Eſt Mens, eſt cœli conſiſtens vertice Numen,
Attingens rerum fines, impervia rerum
Principia æterno placitorum ex ordine ducens :
Fata cuſ, ſtellæque, volubile tempus, & annis
Nexa futurorum ſeries, ævique propago,
Et rerum in varias abiens Natura figuras,

*Mors & Vita ſitæ in Dei poteſtate.*

Cauſarumque altrix, effectorumque miniſtra;
Sub pedibus fluit. ille movet mea tempora ſolus;
Temperat annorum ſortes, momentaque librat
Vitæ cuncta meæ. in lucem, cùm juſſerat ille,
Auraſque æthereas veni: cùm juſſerit ille,
Decedam, æthereaſque auras, lucemque relinquam.
Verto (a) ſolum, muto cœlum, trans æquora curro.
Cùm volet ille potens rerum arbiter, immigrat ægra
Sardinia in Tybur ſanum, in mediamque recedit
Sardiniam Tybur. Certo ſtant ordine fines:
Ad quos me vel producit vel corripit, ævi
(b) Regula non violanda mei, divina voluntas.
Calco viam, incertus, Vitæne an Mortis. eunti
Ignotum, variumque, & inextricabile trames
Monſtrat iter. Tua non optem, Minoïa virgo,
Fila: tuam implorem, vitæ ſuprema poteſtas,
Incerto quæ cæca regat veſtigia, dextram.

Pro vita Principis Votum.

Hunc ſaltem rebus Juvenem ſuccurrere feſſis
Ne prohibe. Satis e venis fluxiſſe memento,
Quo luimus pœnam: ex oculis, quo denique noxam
Eluimus, ſatis. Et veteris memor Anglia plagæ,
Et necdum ſiccata genas procumbit, & aræ
Poſcit opem. Certè tellus e ſanguine Regum
Nulla tot æthereis tranſmiſit nomina faſtis.
Quo peccet minùs, hunc proprium ſi ſupplice Voto
Vendicet, indigenam munus: ſi nomine juris
Prætexat cauſam, & meritorum robore Votum
Armet. Erit, patrios olim cùm regia cœli
Accipiet Reges inter ſecura. manebit
Grande moræ pretium. poſitum eſt in fœnore tempus.

Conjecturæ de Vita Principis a Deo intenta ex habitu corporis, & animi.

Haud equidem, quid penna velit, ſeu lingua volucrum,
Cum fatis ſeu quæ jactent commercia fibræ,
Interpres ſim. Sidereis nec cœtibus auſim

(a) *Vertere ſolum non ſolius exilii cauſa dicimur.*
(b) *Ut libella explorat altitudines, norma angulos, ſic regula longitudines. Jun. Nom.*

Inſpecturam

Inſpecturâm inferre aciem, quo Principis ortus
Ad primos radium Genius legarit ab aſtro.
Nota minùs nulli domus eſt Tithonia, (a) Vitæ
Illa domus: cœli facies, arcanaque regna,
Quàm mihi, nota minùs nulli. Speculentur Oloris
Candentem plumam, ſurgentis & aurea tecum
Ora Jovis, Cepheique humerum, & talaria Perſei,
Queis ſapere eſt altum ſapere. Imperioſior horæ
Natalis pars ſitne Aries an Capra, laborem?
Nec Pecudem, nec Avem, nec Sidera conſulo. Solum
Te Chaldæus ego, te ſedulus Augur, Haruſpex
Te ſolum, Rex, obſervem. præſagia ſolus,
Ominaque ipſe tui dederis. Tibi corpus in artus
Eximios finxit Deus, adjecitque palæſtræ,
Quem vel livor iniquus amet laudetque, nitorem,
Et ſpeciem imperio dignam. (b) Cultiſſima veſtis,
Sic animæ longævæ habeant, ut quærit haberi.
Et vires habiles, utendique addidit artem.
An favet alma valetudo? jam luminis oras
Ingreſſo & (c) Salve dixit Lucina, (c) Valeque.
Subriſere Deæ: &, quas moverat æmulus Humor,
Compoſitæ lites, &, cæſa non ſine (d) porca,
Pugnaces iræ manſura in fœdera miſſæ.
Addita, diſcordes animi quæ temperet æſtus,
Mira quies, ſua non ſolis eſt noxia labes
Corporibus: mala ſunt animo ſua, viſceribuſque
Ingenitæ peſtes. dolor hinc, hinc improba ſurgunt
Gaudia, ſollicitique metus, & dira cupido. (e)
Quæ ſuprà eſt animæ regio, tranquilla: quod infrà eſt,
(*domus.*

(a) E 12. *in oriente ſita Horoſcopus dicitur, Vitæ*

(b) *Corpus indumentum animæ.* Veſtis bona quærit haberi. *Ovid. Inde habitus.*

(c) *Mortuis dicebatur olim. Varro. Hìc contrà.*

(d) *Noxia qualitas in humoribus, ſemen intemp. Alluditurque ad illud:* Cæſa jungebant fœdera porca.

(e) *Quàm noceant corpori hi animi morbi, Galenus.*

Quàm

Quàm ſtudiis miſcet variis ignobile vulgus!
Sic alto Sinai recubans in vertice Moſes
Otia cum Superis agitat cum pace ſilentis
Colloquii; multa fervent dum Thyade caſtra
Interea, ſtreperæque volutant murmura valles:
Cymbalaque, & choreæ, & ſiſtris laudatus (a) Oſiris.
Quo genitum cœlo te, quem tam rara laceſſit
Tempeſtas, hauſiſſe rear quo ſidere vitam
Indemnem? certè ventos excedere fertur,
Parnaſſo ille tamen nimiùm (b) vicinus, Olympus.
Non ſum animi dubius, quin, quæ mortalibus ægris
Obveniunt, & te, Princeps, mortalia tangant.
Sed tibi mens rerum prudens, quæque ardua menti
Præſidet aſtrorum placitis ſapientia major,
Pacis inæquales motus ad fræna vocare,
Teque tuum dedit eſſe. Virum, cùm finibus exul
Arcebare tuis, te ſæpius advena talem
Ad nos Fama tulit. Famæ primordia ſerpunt
Obſcurè, & ſurgunt modico de fomite faſtus
Exiles. trepidam ſenſim ſe librat in alam,
Inque, metu primo, confines nititur auras,
Tenuis adhuc, mentiſque anceps, atque inſcia pennæ.
Pòſt, ubi vis animis, humeroque protervia crevit,
Par (c) fratri ſoror, & jam dedignata (d) parentem
Filia, cæruleis caput ardua nubibus infert,
Alta, ingens, magnaque ferens ſe mole timorum
Volvit centum oculorum orbes, centum arrigit aures,
Et ventis avecta ferentibus, ocyor ipſa,
Quicquid ubique leve eſt prævertitur, omnia miſcet,
Ingentem exiguis affingens rebus honorem.
Lingua loquax: produntque vel ipſa ſilentia linguam.
Virtutum illa tamen fines ingreſſa tuarum
Defecit, ſiluitque loquens. Compleverat aures

(a) *Sunt, qui vitulum aureum Oſirim putent.*
(b) *Ac proinde fabulis obnoxius.*
(c) *Encelado ſc. &c.* (d) *Terram.*

Prægrandi

Prægrandi latè ſonitu prænuncia noſtras,
Utque tuos agili reditus præceperat ala,
Sic annos animis præſumere juſſerat aureos.
Dixerat ingenio pulchrum, qualeſque Minervæ
Duxiſſes ipſo quondam ſub pollice mores.
Dixerat alloquio comem, tractabilis iræ,
Quàmque tui, tam rerum utinam, regnique potentem:
Adverſis ut non minui, ſic & neque lætis
Imperii rebus tumidum fore, quique timeri
Placatus poſſes, necnon iratus amari.
Dixerat extorrem patria nova regna potiri
In Regum dominantem animos, atque indolis aureæ
Hoſpitibus latè populis imponere morem.
Dixerat illa — Diem Famæ præſentia dicet.
At litem ipſa ſuam quoque fecerit, officit idem
Carolus abſenti præſens ſibi. Fama fatetur
Laudes detriviſſe, ſui non parca, minoris
Sed culpa linguæ. Queritur ſic Phoſphorus aſtri
Præcedens radio de candidiore ſequentis.
Siſto. rubet læſus pudor? elicuere pudori
Sanguinem, ut indociles Regum ad præconia, Muſæ.
De cœlo ſervas Augur? Præſentius æther
Non dedit auſpicium, Patriæ quàm pectora fidæ,
Quemque tui Numen populis inſevit amorem.
Inde meis comitata volant, & in aſtra feruntur,
Ad Superûm accubitura fores, tot candida vota,
Quæ Pylium referant ævum tibi. Nos pius ad quæ
Inſtinxit Deus, an votis obſurduit idem,
Dona ſua avertens, & ventis irrita donans?
Fortè ſui memorem Henrici, charæque Mariæ *
Vicini ſonitus fati, dubiumque propinquus
Terruit Ucalegon. Tibi, Carole, vixit uterque:
Vixit uterque, (a) ſuos ut Frater viveret annos.
Unum ego jurè ſubeſſe putem, præque omnibus unum,
Quod timeam, ne, quæ ſervant regalia curæ

Alia conjectura ab amore populorum.

*Nequetimendum a Fato nuper nimis vicino.

A curis, quippe quæ longævitati inimicæ, poterit eſſe timor.

(a) *Id eſt, Henrici & Mariæ juxta reg. reciproc.*

Limina

Limina, purpureoſque ſolent obſidere ſomnos,
Te quoque multa moventem animo, nobiſque timentem
Sollicitent. Non eſt, animæ præcordia carpat
Quod magis, & ſurdo labefactet verbere vitam.
Appellem virus? forſan medicabile. verùm
Sublapſæ ad venas ubi perſedere, ubi fibris
Altiùs implicuere luem, lentique veneni
Vipeream nervis animam infudere, retuſus
Mox vitæ ſtupuit calor, aruit humor, & atro
Exeſæ tabo, culpa ſerpente, medullæ.
Ut mihi ſit ſecura quies, tibi cura quietem
Eripit: ereptum Regem ſibi tetrica nobis
Elocat. Ad remos ſic per juga libera fuſus
Ut reſides artus ſuretur nauta labori,
Ut ſua vectori ſint otia, ſomniferæque
Grata periclorum ducant oblivia noctes,
Ipſe gubernaclo Rector ſuſpenſus inhæret,
Suſpectans anceps pelagus, variumque tridentem.
Rectori noctem eripiunt hinc nubifer Hœdus
Exoriens, Hyadeſque atræ, Arcturive cadentis
Impetus, hinc cautes, & ſemita cæca profundi,
Et fraudes brevium, & ſyrtes: ægrumque fatigant
Explorantem auras, Arctique arcana moventem.
Dormit prora: vigil proræ facit otia puppis.

Superest tamen modus illas temperandi.

Ergo tibi curâ, Princeps, ut pectora laxes,
Autor ego prudens fio, clavumque remittas,
Deſpondere fidem dextræ cui fœdera tanta?
Heu necdum mare, nec venti, nec ſidera conſtant.
Sed neque tam jacet unda, quies languentis ut ipſa
Non tumeat, turbo exanimis non æquora tentet.
Ut ſolitam intendas curam? Nec pectus obarmat
Ferrea fibra, nec æs vincit præcordia triplex.
Continuò teneram compagem, & mollia ſolvet
Texta labor. Quid ago? Sine cura cura gerenda?
Cura tibi talis proponitur, haud ſecùs, ac ſi
Senio penderet cura & Venus omnis ab illa.
Parte alia Superûm in curis, & pectore totus

Sic

Sic habita, ſpem ſic verſent hi totius *(a)* orcæ;
Prona tuum quaſi nulla penes foret alea jactum.
Cura ſic dabitur tibi curam ſolvere. Mentes
Aſſiſtunt mundo aligeræ, queis tradita fertur
Ætheris, & terræ cuſtodia: credita gentis
Humanæ cura, & curſus retinacula noſtri.
Jura polo dant, & terris. data jura tuetur
Terra, gerit morem polus. obluctatur habenæ
Humanum genus, imperio intractabile, nodi
Impatiens. *(b)* ori indomito ſua ſurduit auris.
*Hoc opus, hic labor.* æternum tamen æqua tenorem
Mens colit, integræque labat pars nulla quietis.
Audior? inde tuæ petitur tibi regula curæ.
Fræna tenent. placidis pax incubat aurea frænis.
O Superis vir dilectus, cui providus æther
Excubat, & vigiles pendent e nubibus ignes,
An ſortis retro caſus, veteriſque libebit
Pauca remetiri mecum veſtigia fati?
Poſthuma triſtitiæ ſaltem hæc permiſſa voluptas,
Ut meminiſſe juvet. Virgam vidiſſe fatemur,
Sed placidè vigilem. quot præceſſere labores,
Quot caſus obiti, totidem, quàm ſit tua Cælo
Curæ vita futura, manet confeſſa tabellis,
Pignoribuſque obſtricta fides. Facunda Pronœæ
Lingua: ſed auditor ſurdus. ſpecioſa Pronœæ
Forma: ſed inſpector cæcus. Tibi ſæpe videndam

Conjectura alia e præteritis argumentis circa Principem providentiæ divinæ.

(a) *Tubulus ille, quo aleatores utuntur. Perſ. & Plin. & quem Martialis appellat* ebur.

Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum cum cane quaſſat ebur.

*De alea prona, Venere, ſenione, &c. ſuprà. Licèt apud Martialem hìc ſenionis jactus accipiatur pro damnoſo, habetur tamen plerumque pro fortunato.*

*Hìc autem per tubulum illum alluditur ad machinas Providentiarum noſtrarum, quas Pſal. vocat* incertas.

(b) *Tranſlatione ab equo, cui auris in ore. Hurat.*

Se præbet, te ſæpe docet Dea. cernis, & audis?
Quin age currum altæ mentis conſcende: patentes
Naturæ campos decurre. Quis ignibus illis
Aſtrorum in noctem crines redimivit, & auro
In lucem compſit ſoles? Quis tempora menſus
Annua tam claſſes æſtum digeſſit in æquas,
Et frigus? Refluis volvuntur ab æſtibus undæ.
Aggere quis ſepſit furias? Elementa perennes
Exacuunt iræ. quis tela refutat, & ipſa
Ad pacis partes accedere prælia cogit?
Tollitur in currum Fortunæ mundus, & errant
Regna. rotæ curſum quis temperat? Eſt Dea, Mentis
Quæ ſpeculam æternæ ſtabilis tenet. illius omnis
Illius imperium ſequitur Natura, ſequetur
Imperium. Illa ſibi ſemper Dea conſona, Rerum
Naturæque ſedens in vertice, currere motu
Ad certas quàm compoſito jubet omnia metas!
Natales præit illa dies quoque: ſeclaque ducens
Temporis arcanis e fontibus, evocat annos
Inde tuos, intenta ſuis & deſtinat aſtris.
Illa minas fati fregit, ſecuitque malorum
Obſtantes cuneos. an ſeriùs? haud malè Diva
Neglexit, quem neglexit ſtudioſa probandum.
Illa tuas ſpeculata vias divortia calles
In certos compellebat, juriſque docebat
Fortunam non eſſe ſui. Quot Sortis iniquæ
Fluctivagum per iter cæcos tranſmiſeris æſtus,
Si repetam, antè dies ruet, alîpedemque remittet
Sera Meduſæum ſolvens in paſcua Veſper.

*Fit mentio brevis prælii Vigornienſis, quo ſpes omnis Regiorum penitùs concidit.*

Prima ſpei quæ diluxit, quæ ſumma Britannæ,
Sæpe dies menti ſubit illa. Rebellibus, olim
Anglia quas (*a*) dederat, vincique dolentibus Umbris
Inſeſſos video montes, tetraque corona
Infectam lucem. Videt in ſua viſcera ferri

(*a*) *Temporibus olim Witte Tileri, & cæterorum veterum perduellium.*

Anglia

Anglia bellum uteri unius: ſuſpenſa nec horret
Armari pietas. Odiis concurritur æquis,
(Ferri par utrinque ſitis) non viribus. (a) Ipſe
Millibus in mediis Bellonæ Præſtes in armis
Horridus accendit Martem: furialiaque haurit
Succeſſu atque animis fervens præcordia faſtus,
Et rabies ſæva, imperiique infræna cupido.
Præcipitem in furias mentem, cæcamque futuri!
Hanc, eſto, (b) duplex inſignit adorea lucem.
At nigra nescio quæ, Pugilem circumvolat umbra.
Poſt aliquot veniens quas demetet annus, ariſtas
Indignantem animam ſupremæ noctis ad umbras
(c) Hæc eadem ejectura dies, laurumque feroci
Decutiet capite, (d) & furias diſperget in Euros.
Interea propiùs patriæ per funera victor
Infert ſe campo, & formidine ſeptus equeſtri,
Sævo Marte tumens, & Martem ſævus anhelans,
Ad muros urget bellum. ſuccincta procellâ
Fulmineâ peditum agglomerat, quâ proxima, nubes.
Apparet lethi facies teterrima. letho,
Diſcrimen fati paryum, prætenditur agger.
Heu, Cauſæ addicit litem Victoria fœdæ.
Æra tonant. Heu noſtratem quàm fulmina notum
Jamdudum per ſola Jovem! Gravis ingruit horror
Undique; crebreſcunt & confuſæ fremor urbis,
Fœmineuſque ululatus, & illætabile murmur
Cædentum utrinque ad portas, & utrinque cadentum.
O urbem antiquam, & celebrem: pietatis avitæ,
Et priſcæ præſtantem animæ! quæ copia fandi
Explicet, innutrita odiis quid militis ira

(a) *Olivarus Cromwellus Dux.*
(b) *Dumbarrenſis, & anno proximo Vigornienſis, eodem die, tertio ſeptembris.*
(c) *Poſt aliquot annos mortuus eodem die.*
(d) *Tempus memorabile fecit horribilis & inuſitatus turbo ventorum.*

Poſſit, & indulgens iræ ſine lege poteſtas?
Infelix una ante alias, Vigornia! Felix
O una ante alias! Uni tibi creditur ingens
Depoſitum. exortem ducent tua ſecula famam.
Occidis. invidiam caſus movet. una potiris
Multarum voto. gremio complexa recentem
E Scotia, &, quantùm licuit, ſolata fovebas.
Occidis. Inſtabat ſummo cùm ſpiritus ori,
Eluctantem animam, fugientemque ipſe legebat.
Spes reditus eſt. pelle metus: animæque vel ipſi
Invicti ſuperent animi. melioribus aſtris
Vita redux animam tibi reddet, & halitus alter.
Jamque, die labente, rotam feſtinus ad amnem
Heſperium Sol tendebat. Subit altera cura
Afflicti porta averſa ſubducere belli
Relliquias tenues. Et erat credenda ſequeſtro
Alea (ſic animo tibi federat) altera campo.
Scilicet audenti pulchra, & ſe digna gerenti
Suppetias mittit Virtus. & ſæpe reponit
Deciduam frondem capiti Victoria nudo.
Mox (a) aliter. Sic hinnitu cùm terruit auras
Flammifero inſultans Pyrois, & buccina quarta
Venturam cecinit roſeo de culmine lucem,
Ilicet hic propiùs ſpumis albeſcere fines,
Hoſtilemque diem properos efflare jugales
Proſpiciens ſpecula Pallantide Phoſphorus effert
Ex alto ſignum. vigili ſtatione cohortes
Siderex ſenſim cedunt. Ille arduus albo
Agmen claudit equo, campoque noviſſimus exit.
Phoſphorus excedit. ſubit Heſperus, alter, & idem.
Te quoque mox (b) habitu, Princeps, & nomine mutas,
Et cœli regione tui. Decedit Eoum

(a) *Nam fugæ conſilium viſum opportunius. Quod proximè ſequitur, inducitur ſolùm per modum ſimilitudinis.*

(b) *Id eſt, tu mutas habitum, &c. dictio Horatiana.*

In

In noctem ſidus. Quos inde cucurreris orbes,
Novimus. at fines habuit, quò curreret, error:
Devius ille tibi, non fatis. Inſcia campi
Cæcutit Fortuna. regit veſtigia Fatum.
Et fumum patrio ſimilem, glebamque, Lareſque
Terra pares omnis Sapienti præbet: ut Orbem,
Sic Patriam. At Regum exiliis natura laborat.
Quæ gregis eſt, eadem paſtori patria ſola eſt.
Excuſſum regno, nudum auxiliaribus armis
Ad cædem, inferias Umbris miſſura paternis,
Anglia te tua quærebat, fœcunda Luporum
Anglia. Pòſt enantem undis te Gallia læto
Excepit materna ſinu. Cognata ſubibas
Littora: ſed qualis, pelago poſt condita vota,
(a) Qui laceros de puppe Deos, miſeræque jacentem
In picta oſtendit ſe tempeſtate tabellæ.
Hanc Belgis oſtendebas quoque naufragus. illi
Fortunæ documentum ingens fovere: nec aſſis
Deſuit. Et profugos habuiſſe Colonia Reges
Dicitur; & miſeris novit ſuccurrere. Vidit,
Et ſimul indoluit. Nec circumferre pudebat
Exangue imperium, tabulamque advolvere portis
Occidui ſolis. ſpes inde nitefcere viſa eſt;
Fortunæ ſed per nebulas mens credula qualem
*Aut videt, aut vidiſſe putat*, nec certa, nec expes.
Interea reducem, Princeps, te vidimus; at quà,
Incertum. Caſune venis duce? Qui duce caſu
Utitur, offendet, caſu duce. Te Deus ipſe,
Ut ſcires, cui deberes tu ſolvere nomen,
In cenſu eſſe ſuo voluit. Quis tela ſequentum
Eluſit? Deus. Hoſpitio quis ſtravit arenam
Ignotam? Deus. In ſolium quis amabile pignus
Reſtituit? Deus: ille tuus. Circumſpice, bello
Qui tanto fractum inſidiis ferroque petebant,
Vulnifici mirmillones ubi ſunt? ubi ſunt, qui

*Poſt cladem in Galliam ſe Princeps contulit, in Belgium, Coloniam, & demum in Hiſpaniam.*

*Incolumis vidit.*

*Ubi ſunt, qui quærebant animam ejus?*

(a) *Juxta morem veterum naufragorum.*

Fervebant

Fervebant modò tanto æstu, nimbisque fremebant?
Effugit visum levis umbra, simillima somno,
Et noctis ludum species imitata volucrem.
Quod reliquum, submissa juba est. Te, seque fruun
(Supplicii novitas!) intabescuntque fruendo.

*Et Cromwellus ipse imprimis inter cæteros?*

Et quoniam lustrare vacat, Cui lora, viceisque
Cui Fortuna suas, & campi regna remisit,
Ille potens armorum, idemque, tonantius ipso
Vel Jove numen, ubi est? juvat ire, locique reducta
Vestigare oculo sedes. (a) Aquilonis ad arces
Crediderim affectasse viam, aereoque recessu
Altivolas inter posuisse cubilia nubes.
Jamque adeo seu Dædaleæ mihi vincula ceræ
Nectere, seu potiùs Cyrrhæa valle vagantem
Pegason, Æolios suetum transmittere campos,
Ad frænos accire placet. Quò provehor? horret
Contemplari animus. (b) Libitinæ vindicis oram
Agnosco tristem, & Nemesis ferale trophæum.
Siste viator iter, mecumque addisce vereri
Justitiæ certum, & Sortis mutabile numen.
Quò cecidit? dominam præceps audacia sellam
Huic nuper dedit. huic sellam cinxere curulem
Vis, & opes circùm, & crudæ formidinis ora:
Non hominique datum per iter dedit ire libido.
Quò cecidit? Ferit astra indemni vertice nemo.
An, quia desedit lori rudis, & minor hæres,
An, quia præcipiti radio sufflamina nulla,
An, quia diversos egit furor Automedontas,
An, quia perfidiam rota dedignata rebelles
Nunquam auditura est cæcæ ambitionis habenas,
Vindicias jam tum regno dicentibus astris,
Huc ruit ex alto miser? Est sine nomine truncum
Corpus: erit, sic astra jubent, sine nomine nomen.

(a) *Alluſum ad tempeſtatem ortam ſub illius mortem.*
(b) *Tiburnum, ubi cadaver ſuſpenſum, & poſt, truncato capite, defoſſum ſub patibulo.*

Huc

Hue demum revoluta, hic irrequieta quievit
Vis animi: admirandarum molimina rerum,
Prætervecta diem, & veſtigia ſolis, & anni,
Hic ſedere. animis operoſa ſuperbia ſummam
Hic poſuit tantis? (a) Auſis nova fabula magnis,
Sedus ager, locus infamis. Sed furca (procaci
Parcendum verbo fuerat) vel ſera latroni,
Expellas illam furca licet, uſquè recurret.
Et vidi viventem. Oeta rediiſſe putabam
Illciden enixa novum Tirynthia ſecla.
Et vidi morientem. illæ, quo turbine fœtam
Afflarit, quantamque animam, docuere procellæ.
Occidit, & Manes ingens externat imago.
Horrors & pendentem tulerat vidiſſe. videbam,
Penderent heu quàm vario mortalia filo.
Et vidi tandem, necnon vidiſſe ſepultum
In votis fuit. invideas, Mauſole, ſepulto.
Pulchrum Heroi tuo ſtruis, Anglia funus. Honori
Quæ ſtruitur, quàm terra levis! Luſtrate favillam
Funerei juvenes in equis, & verſa (b) cruentet
Haſta ſolum, & mœſtùm lituus canat, Aſſyrioſque
Cum lachrymis, gens atra, tuis bibat urna liquores.
Buſto te divellat amor non alter ab illo.
Umbra ſilet. laudem inſultare ſilentibus umbris
Non habet. Eſt ſaxi facilis jactura ſuperbi,
Nomen ubi virtus exaggerat. Et ſua Laudi
Squalenti caligo nitet. Quæ fragrat amomo
Fama ſuo, Syrio non indiget. Et tibi terra
Incubet haud oneroſa, ſacroque e pulvere ſurgant
Et calthæ, & violæ, per me licet, oſſibus ægris
Incumbunt proprii, & convellunt funera Manes,
Cumque ſuo canis & ſerpens & ſimia gallo.
Hoc ſaltem, infelix, caſum ſolabere triſtem.
Te digito plebs præteriens dignabitur. Hìc eſt,

(a) Magnis tamen excidit auſis. *de Phaethonte.*
(b) *Intincta ſcil. ſanguine victimarum regiarum.*

Et

Et forsan diceris, Hic est. Dissederat ausis
Si non causa tuis, meritis nec debita Memphis;
Nec Pugili sua defuerat memor (a) Artemis. Ingen
Fama, dum res floruerant: ingentior armis.
Causam fama malam sequitur brevis. ardua nuper,
Nunc jacet; & tenuis supereſt vix sibilus auræ.
Occidis, & totus sepeliris. egere sepulchro
Teque, tuumque futura negent oblivia nomen.
Defossas umbras funebre superstrepet agmen,
In noctem exululans canis, incestæque volucres
(Pars animæ, Cromoelle, tuæ, nativaque pluma)
Corvus hians, milvusque rapax, & præfica bubo;
Perque recurrenti Nemesi sacra (b) tempora mittet
Inferias tibi Diva, parentabuntque sepultis
Manibus atratus Scinis, informisque Procrustes,
Teque tibi objicient. Sævum Babylone Leonem,
Funere qui mersit multo prædator Idumen,
Exultantem animis, fremituque immanè rudentem,
In caveam misere. Feram quoque cerno Britannam,
Cerno (c) jubam indigenam feralia sub juga missam,
Tiburno domitam fræno, in caveamque subactam.
Regum jura verenda time, fuge lora, viator,
Dextræ non permissa tuæ. sua certa nocentem,
Clauda modò ut sistant, flectant modò devia fata,
Certa manent tamen, & certo pede crimina pulsant.
Ne redeat, nullus timeam. Expugnasse Tonanti
Enceladum satis haud erat. imposuisse perusto
Terrigenæ Ætnæam fama est post fulmina molem.
Encelados non sola vetus tulit: edidit ætas
Nostra suum, Phlegreque arsit nova. Pelion Ossæ,
Pelio Olympum audax simul involvebat, Olympo
Se, fastusque suos. Disjectas cernimus arces,
Aereasque minas. Monstro Sicania venit,

(a) *Artemisia, quæ viro Mausoleum condidit.*
(b) Sessions. *conventuum juridicorum latronibus dies fatales.* (c) *Leo illi pro insignibus.*

Terra,

Terra, tuo: ſua nec deerat (a) Trinacria noſtro.
Quæ reduces meditantem iras premat, haud ego rupem
Imprecer, Ætna, tuam. Jacet, æternùmque jacebit.
Et quî, prô cœlum! prô numina ſancta! reſurget,
Quem ſcelerum tantorum urget chaos, atque mali vis,
Aggeſtæ ſtrages morum, legumque ruinæ,
Avulſum Regi caput, & tria ſubruta regna,
Tanta per Europam bellorum funera, tantus
Reſtagnans cruor; incumbentis & orbis, & ævi
Quem venturi odia & diræ, Carolique prementis
Infra terrarum latebras, caveaſque vel infra
Infernas cohibebit ineluctabile pondus?
Carole, ubi es? Vivis. ſolio ſublimis ab alto
Das jura, imperiique redux premis aurea lora,
Cœlitum amor, nec cura minor. Perſolvere grates,
Quas opis eſt noſtræ, noſtrum eſt. reddantur opimi
Caſtorum (b) vituli labiorum, victima pinguis,
Luſtremurque Deo, & cordis Panchaia noſtri
Tota coronatas templorum fumet ad aras.
Si vitæ moveant ſortes, fuſique reſervent
Jus ſibi ſi totum Superi, dos optima vitæ
Non aliunde petenda meæ. (c) Salomona, nepotem
Jeſſeum, regnorum illum mentiſque potentem,
Et vitæ pariter modicos extendere fines
Aggreſſum, medicis eſſet quis in artibus uſus,
Diſſeruiſſe ferunt: tum fœtus utile quicquid
Arborei ſylvæ, poſito de ſemine quicquid
Cultus ager, quicquid ſobolis campeſtria ferrent
Injuſſæ, docuiſſe ſuis inoleſcere chartis.

*Interea Princeps Providentiæ divinæ munera ſuperſtet.*

*Donum Vitæ expectandum a Deo.*

(a) *Si quis reſpexerit ad patibuli Tiburni triangulam formam, leve id quidem: at non abnuerim.*

(b) *Alluſione ad illud Oſee 14. admitti poterit locutio hoc loco.*

(c) *Periiſſe ferunt libros Salomonis de uſibus medicis, Deo nimirum ſic ſtatuente, ne toti penderemus ex illis.*

Quin & avara ſui quicquid vitale cavernis
Occuleret tellus, in luminis extulit auras,
Argenti ſpumas, electri ſemen, & æris
Squamas, & rerum ſulphur: rigidamque coegit
Uſus in medicos Chalybum manſueſcere gentem.
Pulchrum opus. interiit. dignum, cui ritè minores
Juſta ferant Medici, & cineri ſolennia mittant.
Defuit e Libano cedrus ſua, nec tulit ævum.
Interitus cauſa, ut perhibent, ea maxima, ne, ſi
Pæonis arguti proſtans in limine noſtras
Pelliceret ſpes, humanæ fiducia vitæ,
Divinis ſenſim deſciſcens transfuga ſignis,
Ad plantas omnis medicaſque arreperet herbas.
Ergo vale Pæon, Amythaoniæque valete
Cum plantis herbæ. bellè, mihi, Phœbade ſana,
Si Melopœus adeſt, non pharmacopœus Apollo.

Igitur vita Deo placens ad vitam longam via; & e contra, &c.

Vita Dei donum. Divino munere quiſquis
Utitur, uſuræque petit compendia longæ,
Det cœlo nomen: Superis pietate placere
Diſcat, cum Superis ineat commercia ſolis.
Si Superis placeat, vivet. Quà ſe via pandit
Lactea, virgineoque albet cum nomine trames,
Hàc (b) immortalem ad vitam fert ſemita. Vitam
Quæ ferat ad longam in terris, ſit ſemita labis
Pura mihi, ſceleriſque expers, & lactea vita.
Jeſſeum memini Solymæo pectine Vatem,
Et Regem eccinisse; (quid o pulcherrime Regum,
Quid canis o Vatum pulcherrime? languida tentat
Fila meus, Muſiſque tuis aſſurgit Apollo.
Fare.) (c) *Quis eſt hominum, qui vitam diligit?* inquit.
*A Pravo diverte pedem: Rectum cole.* Sic eſt.
Si dexter pergam, vivo: ſin lævus aberrem,
Quis mea ſervantem arcuerit veſtigia Mortem?

(a) *Sic habetur ex Iſidoro Clario.*
(b) Hàc iter eſt Superis ad magni tecta Tonantis. *Ovid.*
(c) *Pſal.* 33.

(a) Fallor

(a) Fallor? adeſt. an bellatrix (b) Dea? Quæ mihi ſen-
Exterret ſpecies inopina? ferocia pugnam (ſum
Illa, minæ bellum intentant: it teſſera bello.
At fremitu, ſi Diis placitum, ſata Marte virago,
Quò tanto? *Populos*, inquit, *domitura rebelles.*
Parturiunt aquilæ. trochilus naſcetur. At æreæ
Frontis ubi crinitus apex, & cornua rubra?
Nec tergum lorica, nec ilia balteus, umbo
Nec latus armat. ubi nodis conſertus Iberis
Squamiſque in plumam thorax? Balearica nulla
Fulmina, nulla trabi ſparſura phalarica peſtem,
Malleoluſve, onagerve, aut, qui munimina pulſet,
Incurſans aries, cornuve coniſcet aheno?
Nidum dejectura minas intentat arundo.
Sed neque fronte ſedet bellum. quàm Martius oris
Campus hebet! parci vultus, & lumen abactum,
Atque interfuſa turpis fuligine pallor.
Malæ tabentes, & raro conſita crine
Calva; riget cervix, frigent ad vulnera palmæ,
Succuſſo poples nervo labat. oſſea crates,
Exanimes animi, vietum, & ſine pectore corpus.
Ære puer necdum lotus, quem mortua terrent.
Illa nihil. dubio tandem cava lumina riſu
Intorquet frendens, bellatoremque ſuperba
Poſcit (c) equum. paret juſſis accitus agaſo:
Circumſtantque Ferum pavidi Morbuſque, Fameſque,
Quoſque die genuit Caſus Fortuna nefaſto,
Et Dolus, & nati nutrix Diſcordia belli,
Demulcentque armos, & pectora plauſa laceſſunt.

(a) *Senſus ſequentium uſque ad finem hujus partis eſt, Mortem omnes conſequi, atque eò citiùs, quò magis mortalium peccatis incitetur.*

(b) *Volunt aliqui Mortem non fœminam, ſecuti Pauſaniam, qui, niſi fallor, Mortem ſub pueri forma veſtiit alba veſte. Certè Noctis & Herebi filia eſt.*

(c) *De Mortis equo in Apocalypſi.*

Nec mora : quadrupedis tergum premit. avolat ille,
Et vix ſuſpenſo ſummam pede ſignat arenam.
Tela ſonant. humeros pulſat corytus eburnos.
Hic ſonipes, hic eſt : belli fiducia tota,
Robur Achilleum, & ſuprema ſuperbia, fati
Delicium. ſi quem aſſequitur, devota pharetræ
Victima lethalem occumbet tinctura ſagittam.
Miſſile, quod non extimuit cornicula ſola.
Et quis Theſſalici Juvenis præſepia neſcit?
Cui non dictus Echionio formoſus Arion
Pulvere, ſeu quorum Muſæ meminere Pelaſgæ,
Thraces equi, æthereoque agiles e ſemine currus?
Mortis equo noſtræ prò quàm nihil inſtar in iſto!
Nam nec jaſpis erat, nec erat quod manderet aurum,
Nec juba compta vibrabatur, (a) philyraſve gerebant
Serta, nec in niveum demiſſa monilia pectus.
Ipſe nec illuctans preſſo pugnare lupato,
Nec patulis ignem ſubvolvere naribus, orbeſve
Ex aliis alios, ſeu molles carpere gyros,
Inſultans. Non luxuries animoſa tororum,
Non cervix, non ſpadices, nec terga, nec armi
Nobilitant pecus. Exangui frigentis in ore
Pallor, qualis ineſt frondi, quam frigus aduſſit
Primæ hyemis; macie tergum declive, reſiſtens
Ad tactum, atque alvi referens jejunia pellis:
Liventes oculorum orbes ſtupor horridus urgens,
Obſtipum caput, auris iners demiſſa, pereſæ
Nares, obſeſſamque premens faux arida linguam.
Eſt in equo quàm multus Eques! Si pulvere curret
Eleo tamen, Alpheæve ad flumina Piſæ,
Vicit; Olympiacæ veniant ad tempora tænæ,
Cumque ſua miſtus palmis oleaſter oliva.
Et cujus, cedo, tanta unquam fiducia linquens
A tergo limen, Geniorum exceptaque plauſu
Corripuit vitæ campum, pedibus licèt idem

(a) *In quibus ſcripto notatæ victoriæ equeſtres.*
Nubivolas

Nubivolas aquilæ audacis, cautæve columbæ
Subtiles alas, volucremve aptaverit Eurum,
Quem non ille, columbam, aquilamque, Eurumque vo-
Antevolans, cursu præverterit, & sibi palmam (lucrem
Promeritus victricem, & famæ nomen equestri?
Accedit Mortis (a) stimulus? quàm protinus igneam
Increpito plantam vis ocyor urget ab armo!
Nescia nubis erat, noctique obnoxia nulli
Lux homini quæ prima data est. Testaceus illi
Anguis; at impressus signis melioribus æther.
Mors stadiorum aberat quot millibus? infinitis.
Peccat homo. stimulo illo amens instinctus adacto
Continuò effervet Sonipes, & tanta repentè
Se dans in spatia intrepido pede conficit æquor
Immensum, totumque homini se spumeus aiflat.
Fortè modò ex me quæsieris, quot suspicer annos
Esse mihi supèr. Ætatem si consulo, nutum
Sideris obliqui, tum si quos obvia nuper
Occinuit presso decies mihi gutture cornix,
Bis quini sunto. ille meo stet terminus ævo.
Bissenum venit, adjecta trieteride, lustrum:
(b) Enneas hebdomadam texens septena novenam.
At pecco. vetitam decerpsit ab arbore frugem,

(a) *Stimulus autem mortis peccatum*, 1 Cor. 15.

(b) *Mortalium anni plerunque subducuntur per septenaria. & septimus quisque annus immutare censetur statum corporis. Inter numeros tamen, tres præcipuè considerantur*, septies septem, novies novem, & septies novem; *qui numerus postremus habetur Climacter grandis, conficiens annum sexagesimum tertium ex Novem septenniis, seu hebdomadis annorum, vel Septem novenniis, seu enneadibus. ac proinde consistens ex utroque numero fatali comprehendit fatalem characterem utriusque. At quantum habeant ista momenti ad terrorem, æstimet quisque, ut volet.*

Et

Et necdum repressa, manus. Si, criminis uno
Unius impacto stimulo, tam fervidus arsit
Cornipedi effræno dolor, infinita patentem
In spatia ut puncto campum transmiserit uno:
Quid me, qui toties incussa cuspide fodi
Immeritum latus, & toties a cuspide vulnus
Cruduit, affrictique recanduit ulceris æstus,
Quid me fiet? Equus planta festinus & acer
Quàm bis quinque repentè meos trajecerit annos! (a)

(a) *Facit porrò, ut in spem uberiorem Voti mei ve-
am, Principis singularis indoles: & quem reservari a-
guror ad hæc tempora, ut, quemadmodum pronuncia-
solertissimus Batavus anno, nimirum* MDCLX, *q-
Princeps ex Hollandia in Angliam solveret,*

Sicut
per DeVM regnat CaroLVs;
Sic
per CaroLVM regnet DeVs.

## PARS II.

*Argumentum fortuitum ex occasionibus datis in itinere, quod se ait Poeta suscepisse ad nemus Boscobellanum, Principis hospitium primum post cladem acceptam in fatali illo, & suprà memorato prælio Vigorniensi. Et sic primò adumbratur in persona Poetæ se remittentis in itinere, quantùm referat promptum esse in obediendo excitationibus divinis. Pòst infertur mentio de duplici Vita extrema non incommoda ad Vitæ mediæ institutionem. Tum de materia lætitiæ, quæ suppeditat e præsente temporum facie. ita tamen, ut Justitiæ divinæ (cujus exempla afferuntur nota, tempori quidem omni apta satis, at ejusmodi, quæ minus offensionis habitura videbantur) memoria abjicienda non sit. Tum ut occasio se obtulit, quò significetur, quid Deo debeatur, proponuntur aliqua,*

*aliqua, ex quibus Lector erui notas non obſcuras tutelæ divinæ circa Principis Vitam, quales nonnullæ afferebantur etiam in prima parte. Scopum harum inductionum conjicere poterit Lector hujuſcemodi eſſe. Ponebatur Concluſio verſus finem primæ partis,* Vitam Deo placentem, ſive bonam, eſſe viam ad Vitam longam, & e contrà. *Itaque Conſiderationes dictæ, quæ ad materiam, quæ tractatur, ex occaſionum intervenzu tempeſtivè & ſponte accedunt, inducuntur ut Media quædam conducibilia ad concluſionem propoſitam. Poterant conſiderationes illæ nudè poni ſic.* Sed ad Concluſionem allatam circa vitam Deo placentem Media ſunt illa modò dicta. *At commodiùs cenſuit Auctor proponendas illas ſub involucris occaſionum fortuitarum. Et ratio hujus ſtudiosè profectò affectati rei ſic exhibendæ modi, a multis hactenus haud ſatis percepti, prompta jam ſatis eſt. Neque verò novum eſt a Scriptoribus ſubinde, quod intendunt, ſic inumbrari. Si neque ſatisfecerint hæc nonnulli, occinendum fortè Perſianum illud*

Nec clam? nec cum ſcrobe? nuſquam?

Hic tamen infodiam, *&c.*

*Concluditur hæc Pars cum repetitione Voti.*

ET jam vela quidem legere, atque advertere forſan
Debueram terris proram. In communia peccem
Commoda, ſi teneat, Princeps, tua tempora ſermo
Longior. Et nimiam plectunt faſtidia linguam.
Me ſed Muſa ſilere, operique imponere finem
Antè vetat, quàm curriculo interiore retexam,
Inſtitui quod nuper, iter. fors omina firmet
(a) Boſcobel, & notis veniens e finibus augur.
Maius erat modò, ſed præceps; dabat altera finem
Mox oritura dies. & jam Junonis ad aſtrum

Mentio itineris, quod Poeta ſe ait ſuſcepiſſe ad nemus Boſcobellanum anno 1663.

(a) *Nemus Boſcobellanum, ſic dictum, quò Princeps ſe recepit poſt fatale illud prælium Vigornienſe.*

Lapſus

Lapſus Amyclæos Dominæ narrabat amores. (a)
Lætus iter, quà Staffordo (b) Salopia campo
Accubat, & geminæ incipiunt commercia terræ,
Lætus iter carpebam equidem, ſed feſſa ſoporam
Suadebant æſtus medii per membra quietem.
Hoſpitio excepit quæ proxima fronduit umbra
Gramineo ſomnos. Lethæi tempora rores
Utraque perfudere, oculoſque hauſere natantes.
Herboſo poſtquam thalamo laxaverat artus
Prima quies, ut fortè toro reſupinus in illo
Sternebar, prono jam ſol devexus Olympo,
Interlucebat raras quà pervius æthræ
Per frondes aditus, radio monitore jacentem.
Impulit, obliquoque oculos exterruit ictu.
Evigilo. evigilaſſe piget. quemque humida necdum
Emovere ſinu ſegni præcordia ſomnum,
In vultus redit extemplo. tum pectore prono
Obverto dorſum monitis ſolaribus. at ſol
Cœptum tendit equis iter, increpitatque morantem.
Interea ſecurum animi, penſique diurni
Immemorem tenet alta quies. fugit, ignea lora
Temonemque premens, cum ſole volatile tempus.
Ut thalamo indultum ſatis, exaturataque ſenſim
Liquit membra Sopor, cornuque aufugit inani,
Verſo artus utrinque: oculiſque amota receſſit
Inconſulta quies, excuſſaque pectore nox eſt.
Attollo tum demum oculos. nox tetrior orbem
Incubat, alta tenent cum nocte ſilentia terras.
Viſu anceps inopino hæſi, incautoque recentem

(a) *Et hìc repetendum, quod de hac Inductione ſu remittentis in itinere, de ſcopo item & cauſa cæterarum Inductionum ſequentium uſque ad finem circiter hujus Partis Auctor meminit in præmiſſo Argumento. Non conveniebat, inquam, rem aliter tractari, quàm per iſtiuſmodi Inductionum ſimulationes.*

(b) *Hinc non longè Nemus modò dictum.*

E ſomno

E ſomnò gelida formidine perculit horror.
Nec niſi parte ſui micuit jam Cynthia luce
Rareſcente minor: mundi inferioris imago
Plena tamen; nec erat verno nitor ullus ab aſtro.
Involvit noctem nox altera. nubibus atris
Denſantur tenebræ, & terris ſubducitur æther.
Fit ſonitus ventis ſurgentibus. incita flabris
Horreſcunt nemora. inſequitur cum turbine torquens
Nimbus aquoſam hyemem, terrarumque ardua plan-
Præcipitant e cœlo imbres, e montibus amnes. (gunt.
Atque hìc Occipitis calvi memor improba ſomni
Alterius ſenſi diſpendia, ſeraque Frontis
Neglectæ documenta. Bonum quàm pendet ab uno
Crine meum! Cœlo purgatior emicat axis
Interea, fugiunt nubes, &, nocte recluſa,
Apparet lux aſtrorum, excubiæque decoræ.
Hic lentus circumſpexi, jam mente recepta, (a)
Convexos orbes, ſcenamque patentis Olympi,
Et fixos certis alios in ſedibus, oræ
Per juga palantes alios ſeptemplicis ignes;
Ignibus & dixi prò quantùm dividor illis!
Lætitiæ illa tamen tantùm proſcenia noſtræ.
Summa ſpei tota, & mentis cumulata voluptas
Interiore ſedet tractu. pars illa, locorum
Diſſidio vaſto, penitus ſubducta recedit.
Et dixi, quis amica pedi talaria lento,
Quis pennas humero nectat, queis nubila ſupra,
Supra ignis lunæque domos impervia terris
Lumina tranem illa, empyrias & præpes ad arces
Siſtar, inacceſſas ubi cœli filia gazas
Aſſidet, indigeteſque beat Macaritis alumnos?
Sola moras omnes ſuperat, mortalibus aptat
Hanc humeris alam, hæc pedibus talaria Virtus.

Objicitur facies cœli ſtellantis: eaque occaſione excitatur animus ad cœli viam ſectandam.

(a) *Hìc item meminerit Lector, quæ dicebantur in Argumento circa media ibi commemorata. Idem quoque, cum ad materiam de Vita infernali perveneritt.*

Deſerimus patriamque, laremque, torumque jugalem;
Et longè ſubmotum alio ſub ſidere litus,
Auſpice avaritia, petimus; quique extimus olim
Limes erat, (Nemus Heſperidum, & Diis invida rura;
Æſoniæque viæ trabis, Hyrcanæque procellæ)
Nunc in vicino eſt, ſignatque repagula limen.
Nempe ſuburbanus Calpe labor, Herculeæque
Sunt in carceribus metæ. Quà circulus annum
Dividit, & mundo litem diſcernit utrique, (Urnam
Quà Zephyrus Phrygiam atque Eurus pluit alter in
Imbribus alternis, Pagaſæum quà Notus ignem
Reſpicit, excluſam oceano quà nubibus Urſam
Edonis Boreas, & turbine paſcit aquoſo,
(Europæ carcer ſordet) trans ultima rerum
Clauſtra, per ignotos æſtus, per inhoſpita brumæ
Frigora, quanquam albæ cautes, & rauca reclamant
Æquora, vento omni votorum pandimus alas.
Interea cœli nec iter, nec munera norunt
Indecores animæ. cœli prænobile ſemen
In glebam ſubigit vilem veſana cupido.
Sed nec gleba fami ſatis eſt peregrina: nec aureæ;
Æſtuet ut toto fluctu, ſeu gemmea Tethys
Expletura ſitim. qui continet omnia mundus
Grandior, eſt parvo minor; impatienſque ſui mens
Semper anhelat, & ardet inexaturata quod ultrà eſt.
Naſci ergo ad majora putem. Meditare, capaci,
O homo, quod menti faciat ſatis: exue terram,
Degenereſque aude mecum dediſcere curas.
Væ miſero, cujus Serpens in poſtera ſerpit
Fata vetus. terram ille comeſt, & pectore toto
Incumbit terræ. trahitur pars infima cujus
E terra, florem generis qui ducis Olympo,
Tu niti ad cœlum potiùs, patrioſque tueri
Diſce lares, dignumque tui te finge. Beatorum
O domus alta, nec ampla minùs! ſuprema quietis
Regia, votorumque quies ſuprema! Tonantis
Aula: ſed illa minarum expers, & fulmina ſupra.

Extremas

Extremas habitat media hæc, incertaque Vitas — Vita cœleſtis.
Vita duas inter. Cœleſtem ſuſpice. Nullus
Illic eſt a falce timor. Lunæ atria circum
Quæ volat, haud illò penetrat fatalis arundo.
Nulla plagam perflant illam ſuſpiria, nullâ
Gaudia mœroris lachrymâ reſperſa, malorum
Felle madent nullo ambroſiæ convivia menſæ.
Corpora quinetiam multo ſplendoris amictu — Dotes corporum beatorum.
Lux circùm induere, & radiis diſtinguere candor
Dicitur: Invectamque polo vis ignea terram
Circumferre volatu agili. Non frigora lædunt,
Sithoniuſve rigor, nec aquæ, nec Sirius ardor,
Nec Diomedeo metus eſt a vulnere. Corpus
Trajicit illæſum vis corporis enthea, lapſu
Inſinuans ſeſe innocuo. non robur aheni
Obicis intercludit iter, non invia rupes.
Non, ſi centeno voces in carmina centum — Sedes ipſa.
Ore ſonent, centum totidem cum vocibus æquent
Ora locum. Non, ſi vel dextera Coa tabellæ
Tentet opus, niſi pertenui ſubleverit umbra.
Et quoniam inter opes, queis noſtra ſuperbit egeſtas,
Nil auro eſt gemmaque prius, (a) tranſcribimus aſtris
Hermum continuò, & cœlo donamus Hydaſpem:
Cudimus ex auro ſtellas, conſternimus auro
Immortale ſolum, turres & tecta pyropo,
Beryllo extruimus muros, & jaſpide portas.
Sed neque gemma tuas, melior Natura, nec aurum
Nobilitat, Fortunæ inopis ludibria, ſedes.
Nec lingua ſequimur, nec mente, recondita ſenſum
Quæ fugiunt. loquimur, quæ nobis obvia. norunt
Non aliud jumenta, ſuæ quàm fercula ſylvæ,
Lactucam labris ſimilem. Percurrere poſſum,
Quæ tango, videoque. datæ non cætera pennæ.

(a) *Non quòd Hermus, ſeu Hydaſpes ſint inter ſidera relati, ſed quòd omnia ibi faciamus aurea, & gemmea, ſeu quid ſimile.*

Quale opus, æterno secum quod mensus ab ævo,
Confessusque Deum struxit Deus, artis, opumque,
Et largi monumentum animi per secla futurum!
*Beatitudo Essentialis.* At torrens ille, O Superi, si nosse licebit,
Torrens ille voluptatis, qui (a) flumine tanto
E solio Regis lætas exundat in oras,
Quem cœlum sitit omne, quis est? nam plurima famæ
Ad terras e longinquo percrebuit aura.
Dicitur & Manes eadem delata sub imos
Spem guttæ saltem assimilis fecisse, flagrantem
Imbueret vel sic liquido quæ frigore linguam.
Torrens; æternus currit tamen. ille perennes
Decursu æterno Vitæ fons sufficit undas.
Et sitit, & satur est, quisquis bibit; est satur idem,
Et sitit. offendunt saturum fastidia nulla,
Nullus habet sitientem angor. Mens undique voto
Plena: cupitura æternùm, & fruitura cupito.
Has recubat propter lymphas pulcherrima Virgo,
Os habitumque decora, cui nec candida Luna,
Nec facis Eoæ certet Titanius ardor,
Dives opum: dicta indigenis ab origine *Vita Cœlestis.* Comites juxtà sincera Voluptas,
Læves exporrecta sinus, innubiaque ora,
Et Pax, & secura Quies. Æonia circùm
Amplectens ambit Divas Dea. Circulus illi
Verticem obit radiantem ingens, & vitta nitoris
Siderei radiis per crinem flexilis aureis.
Hinc Mentes perhibent, seu quas alit ætheris aura
Simplicior, seu concretam natura biformis
Quas in materiam miscet, quibus hospita terra est,
Haustus quamque suæ primos arcessere vitæ;
Huc, cœlo demum pignus repetente, referri
Natalem ad fontem, & luci succedere primæ,

(a) *Torrens, & flumen? Attamen* Æneid. 2. *legitur* rapidus montano flumine torrens. *&* Iliad. 5. ποταμῷ χειμάρρῳ.

Ni

Ni pennam ſcelus, & ſordes affuſa retardet.
(a) Illa Dei fixa in vultu, atque immobilis hæret,
Illuſtrat penitus Nympham lux intima vultu
Divino abſiſtens. luci reſpondet imago,
Ipſum quæ referat Numen, (b) vitalis imago.
Et Phœbum videt Iris, & Irida Phœbus. at illam
Incingunt atræ nubes, & protinus imbris
Solvitur in rores. Et nobis ſæpius idem,
Qui Superis ardet feliciùs, hic quoque, rerum
Hac vel in illuvie poſitis, uſuque paluſtri,
Objicitur Deus, & vitam propiore ſereno
Mortalem attingit cœli nitor. hinc nova lucis
Fulgor & ardores in mentem gaudia vibrant.
Sed quoniam in nebula ſumus, & premit undique men-
Peccati vapor, in fletum, pluviique doloris (tem
Illico abimus in humores. at crimina vitam
Nube premunt nulla cœleſtem. terra receſſit:
Cum terra vapor & nubes, cum nubibus imbres.
Divinos, artis modicæ quæ copia cuique eſt,
In mentis tabula vultus depingimus: at (c) quæ
Per ſenſus, &, fuco aciem fallente, colores
Peniculum ducit luteos. ubi molis opacæ
Mortalem lux cœleſtis dimoverit umbram,
Qualis ea eſt, oris ſpecies germana tuenti
Redditur. ulla nec emanat Deitatis imago
Interpres media, objectæque vicaria formæ.
Inde venit Menti ſuppar accita Voluntas:
Quodque bonum Menti alluxit complexa Voluntas
Hæret in amplexu, gremioque infuſa cupito
Illa abit in Numen, penetrabile Numen in illam.
Immenſo a nobis ſpatio, &, ſi longius uſquam eſt,
Longiùs immenſo diſtat Deus. intercedunt
Rerum quippe creabilium, & quas divite poſſet

(a) *Nimirum Vita cœleſtis, de qua modò.*
(b) *Eſt enim ipſa vitalis actus.*
(c) *Refertur ad artem.*

E cauſarum

E cauſarum efferre ſinu, ſpecieſque, graduſque
Innumeri. Tot naturæ diſcrimina, rerum
Tot claſſes, intervalli divortia tanta
Tranſgreditur, noſque aſtringit ſibi. vincla miniſtrat
Viſio, mox Amor, hinc ſoboles utriuſque Voluptas.
Sublucent rebus, fateor, veſtigia quædam
Numinis immiſti reliquis, umbræque renident
Subluſtres; ſæpe in mentem ſimul emicat ardor,
Strictuæque breves, fugiens apprendere Numen
Conjectrix quo mens radio queat. At modò plena
Perfuſam luce interior cum numine toto
Ipſe ſubit Mentem Deus. O bona gaudia! Pacis
O Pacis torrens ille! O æterna voluptas!
O *cæli cœlorum!* habitant hic vota: nec ultrà eſt,
Votorum quò Mens ingens pomœria tendat.
O curvum terræ quid agis pecus? Indus arenam
Obtulit. aſtra valete. hoc mens in pulvere ſudat.

Vita infernalis.

Hinc ageſis (Oriens Umbris commercia nondum
Noſtra negat) detorque oculos, oppoſtaque cœlo
Ad loca tende gradus, Anima mea. reſpice. Diſpar,
Inquis, iter. ſed facturum compendia cœlo.
At non te Phlegethon aliquis, fletuve noveno
Terreat interfuſa palus, crinita colubris
Tiſiphone, muruſve triplex, Ixioniæve,
Circumagit quas fama, rotæ. Te terreat ignis
Fax alia, & fletus alii; Sua vipera ſævit
Mens ſibi; Decretorum adamantinus undique portas,
Æternorum emunit obex; Agit orbe perenni
Uſquè volubilem & uſquè rotam invariabilis Æon.

*Tenebris, & miſeriis finita.*

At quæ ſqualenti barathro nox incubat horrida?
Eumenidum genitrix: at noſtræ filia Terræ.
Natus (*a*) egon', hoc ut cœli ſpirabile lumen,
Ut currum ardentem Solis, Titaniaque ora
Aſpicerem? Sol o mihi dulcis, amabile cœlum!
Lux o lætitiæ genitrix, & filia Patris

(a) *Sic opinabatur Anaxogoras Clazomenius.*

Fœcundi

Fœcundi primogenita! ut te dicitur unam
Noſſe parens, & tu riſu agnoviſſe parentem!
Lucis at hic cœlique expers locus. ardet. at ignis
Neſcio quæ lucem (a) vox intercidit. Avernum
Exurunt tenebræ, & noctis ſata frigore flamma.
Noctis in hoc tetræ chaos, has formidinis atræ,
Quas meruit, cœlum quondam lucemque peroſa,
*Vita nocens* abit in caveas. hac illa Seripho
Conditur: & (b) *dulces* fruſtra *reminiſcitur Argos.*
Ipſa ſui, rerum omnium inops, deſerta; dolores,
Jure ſuo tantùm ſævæ ceſſere tenebræ,
Contempletur ut ægra ſuos. Torquata catenis
Nympha ſedet ſcelerum in ſolio, Regina Nocentùm,
Ipſa nocens, ultrixque ſui. Latus ambit inermis
(Dirutus ære animiſque) Furor, feralis Egeſtas,
Et Pavor, & malas Rabies lacerata cruentas,
Culpæ turpe ſatellitium. Caput Anguis oberrat,
Cauſa mali princeps, relegenſque exordia (caudam
Inſertans ori extremam) ſit tortile fronti
Vinclum continui luctus, & tænia triſtis,
Perpetuoque mali ſeries circumflua gyro.
Tota ſibi patet in pœnas obnoxia; parti
Lex & priva venit nulli. Plantiſne faceſſunt
Angorem noſtris podagræ? inteſtina quierunt.
Calculus exurit renes, ſeu glarea mordax?
At non indoluit caput. Hic infeſta querelis
Omnia. tota patens in verbera, (c) totaque dorſum eſt.
Mortis agit vitam; vivit, moriturque, perennem
Æternùm vivens mortem. Cùm pondus ab æro
Venerit, immenſum in melius bona ſingula creſcunt,
Immenſum in peius creſcunt mala. Magnus, at idem
Se minor, expirare ſolet dolor: immodicuſque,

*Pœna ſenſus: generalis, & æterna.*

(a) Vox intercidentis flammam ignis. *Pſalm.* 28. *& ſic interpretatur Baſilius.*
(b) *Delicias veteres. Dictum quaſi proverbiale e Virg.*
(c) Pones eos dorſum. *Pſal.* 20. *& ſic interpretes.*

Et

Et brevis. Et valde nemo doluiſſe, diuque
Sufficit. Intexunt Manes utrumque dolori,
Et Valde, atque Diu. Rerum implacabilis omnium
Extinctor, rerum, atque ſui communis Erinnys,
Tormentum extremum, Nemeſiſque triarius ultor,
Ipſe nec extinguit, nec verò extinguitur, ipſis
Vim ſemper ducturus, opeſque ex ignibus ignis.
(a) An ſaliunt Erebum flammæ? mirabile dictu eſt.
Quos uret, pœnis ſaliet vitalibus ardor.
Diri ſcilicet ille rogi ſal igneus, urens
Ipſe, dat uſto animos, ut ab æſtu fortis, ab æſtu
Uratur ſemper. Cordi ſuſpiria donet
Quæ Metanœa, imbremque oculis? O lacryma, tanti
Quæ reſtinguat anhelantes fornacibus ignes!

*Pœna damni.*

At modò quo ſis mota gradu, cumuloque bonorum
Quo ſpoliata, vide: ſemper fletura videndo,
Infelix anima, factum bene, qui videt, idem
Ritè flet & viſus oculus fletuſque miniſter.
Et ſuperas videt illa domos, & læta Quietis
Limina. Sed vaſtum miſeram chaos alligat, atro
Ah plùs quàm novies Styx interfunditur alveo.
Et videt illa Beatorum per Olympia templa
Conſeſſus, quique e terra venere coloni,
Quique polo genus aligeri duxere Quirites.
Amplexus mille alternos videt, oſcula mille.
At ſolos hæc attingunt commercia, Vitæ
Quos retulit Liber in cives. Liber aureus, at cui
Nec venit e Cretæ norma, tabuliſve Lacænis,
Nec certè ex ævo cedri, ſeu pumice nomen.
Expolit illum æternus amor, præſcitaque virtus.
Sæpe meas illud fama pervenit ad aures,
Et pretium, & nomen fecit cui Gloria, Lumen.
Naſcitur; at Lucinæ orieus nil debet Eoæ;

(a) Omnis igne ſalietur. *Marc. 6. Et ſic pariter nonnulli interpretes, a ſalis natura tribuentis incorruptionem.*

Nec

Nec ſimiles, utero quæ cætera lumina ſudit;
Prima, parens lucis, partus enixa dies eſt.
Ingenitæ lucis candor: qui tempora primùm
Aſtigeri Ducis, & cœli tentoria cinxit;
Solis inoccidui radius: quo panditur ipſum
Numinis in penetrale aditus, quo, quicquid amœnum,
Quicquid dulce Deus, fruimur. Sed nubila regna,
Quaſque palus fundo noctes exhalat Averna,
Huic interclufere viam. Cocytia monſtra,
Et fuligineos vultus, & yerberis ictum
Horreo, vorticibuſque atrum torrentibus amnem:
Nexus horreo nodoſos, dentemque chelydri
Viroſum, anguineos tortus, & ſiquid acerbum,
In pœnaſque ferax aliud. Sed damna quis horror
Illa ſatis? gemitus inde, horriſonique ululatus,
Et fletus diri, & rabidus per Tartara ſtridor.
O, lethi conſanguineus ſiquis Sopor Orci
(Ut memorant) tetras fauces, aut atria ſervat
Excubitor, medicato irroret lumina ramo,
Spargens blanda venena, papavereamque quietem,
Ut me ſopitus lateam, ſeu tantula Damnis
Vel connivendi fiat mora. Siqua ſilentum
Prænatat excubias volvens oblivia Lethe,
In curas fluat illa meas, qua triſte remittant
Imperium, & fallat requies furtiva dolorem
Pauliſper, me furripiens mihi. Sed neque Somnus
Luminibus, menti nec commodat otia Lethe.
Involitant uſquè in mentem, noctemque fatigant
Uſquè, diemque feræ ſpecies: nec damna facultas
Ulla, recurſantemque oculis avertere peſtem.
Hinc habitans ille inſomni ſub pectore Vermis,
Subditus ad fibras altè, & præcordia Vermis,
Et jecur immortale, renaſcenteſque medullas
Depaſcens morſu æterno. Suſpiria ſera,
Queſtuſque in ventos abeunt. Quæ janua ſolem
Antè recepit utrumque, Suburranoque vel ipſum
Admiſit puteal cum fornice, janua clauſa eſt;

Ferreus haud exorando ſtat robore cardo.
Conclamata jacet ſpes : (*a*) (Ilicet.) una malorum
Dulce levamentum. ſeu fructum porrigit illa,
Seu finem. metas hæret dolor omnis ad illas.
Fructus ubi eſt ? ſteriles exercent Tartara pœnæ.
Finis ubi eſt ? redit æterno labor orbe, recurſu
Pœnarum aſſiduo refluentium. ubique dolorum
Congeries immenſa, malique informis imago
Æterni. Alipedes abſolvite, & axibus alas
Nil profecturas appendite ſegnibus Horæ.
Temporis ad metas venit fuga. conſtitit æther.
Ætheris immoti rota ſiſtitur. at rota pœnæ
Volvitur illa meæ, æternoque volubilis ævo.

In eodem adhuc ſitu perſiſtens Poeta vacat cogitationibus lætioribus, atque ad ſtatum Angliæ præſentem magis accommodatis, ſub ortum Auroræ.

(*b*) Et jam ſideribus dubiis Nox ſenſit Eoæ (*c*)
Lora Deæ, ſurgenſque polo jubar. illa rubentes
Memnonio luxu crines, & plena roſarum
Extulit ora. ſalutantum gens læta volucrum,
Excutiens alacri pennarum verbere noctem,
Imbuit ad cantum nidos, gratata ſoporo
Infuſam ruri Auroram, rebuſque colorem.
Glaucus aquis errat tremulis nitor : aura pruina
Tithoni placidè friget, nebulæque ſubactæ
Decumbunt arvis, & raro vellere canent.
Quàm facies diſpar illi, cui turbida nuper
Induerat nox terrorem : cùm nubibus axem
Abſtulerat, terramque involverat imbribus Auſter !
Hic, mens ut jam liberior, laxataque ſenſim
Lætitiæ ſpatia, & fibris illapſa dies eſt,

(a) *Solennis vox, qua miſſus populus in exequiis.*

(b) *Idcirco ſiſtitur in hac deſcriptione Auroræ, quippe quæ infert faciem rerum diverſam a nocte præterita; cum alluſione ad ſtatum Angliæ præſentem, diverſum longè a præterito, cùm omnia tumultibus miſcerentur.*

(c) *Et hìc referat oculos Lector ad hujus partis Argumenti monita.*

In mentem pariter ſubiit confinia rerum
Tempora conferre, & varios componere fati,
Fortunæque habitus. Terris exorta Britannis
(a) Aſtrorum redeunte choro, certaque diei
Spe diluceſcente tui, quàm candida lux eſt!
Conſedit fragor, Æoliæque ferocia noſtræ.
Longa, procelloſa fatorum in nocte, ſevero
Turbine fortunæ, tulimus diſcrimina: quorum,
Pubeſcente malis ævo, pars maxima, Princeps,
Semper eras. Gens quæ luctus non conſcia noſtri?
Quæ freta? quæ noſtris cautes non oſſibus albent?
Fortunis, patria ejecti —— Quid nota revolvo?
Sors melior quantò viſa eſt, quibus altera ceſſit
Pars rerum! charos Manes nec facta poteſtas
Ulciſci, nec verò ſequi. (b) Num Belgica lunas,
Num ſoles alios habuit? nox annua nobis,
Annua viſa dies. & huic nec bruma, nec illi
Solſtitium interiore dedit procedere gyro.
Diluvio ex illo miſeros urgebat egeſtas
Quanta, liquet. longè nec reſpexiſſe neceſſe eſt.
In citimo veterum ſpecies. in cannabe Baucis
Splendet adhuc, inſignia adhuc fert nota Philemon.
Dives eras. unum hoc deerat tibi, noſſe beatæ,
Anglia, Paupertatis opes. aſſueta novorum
Gymnoſophiſtarum monitis, ſcuticæque magiſtræ
Literulis modò tincta, Rotæ quàm ſtrenua noras
Ludum faſtidire: minas quàm temnere Cauri,
Cymodoceſque ſupercilium, breve littus & algam?
Remigio radens tenui! quàm riſerat æris
Et curæ vacuus tumidum Scyrona viator!
His, Princeps auguſte, malis adolevimus, inter

(a) *Procerum exulum, quorum multi proximè ante Principis reditum revertebantur in Angliam.*

(b) *Cùm ſcilicet in Belgio exaluſſent Regii: quibus tempora videbantur ſolito longiora ob expectationem, ut fit, dilatam rerum meliorum.*

Has tecum mœsti lachrymas exegimus ævum;
Teste vel Invidia, miseri satis. Una fovebat
Spes languentem animum, & causam pascebat egenam;
(a) Spes ægro panacea, inopi sors ampla peculi,
Captivo sua libertas, victoria victo:
Sola sciens assentandi sine crimine, (solam
Hanc præter quis enim misero assentetur?) honesti
Progenies, præsentis inops, opulenta futuri.
Hac fretus noctem exegi, mediisque tenebris
Respexi lucem: hac fultus librata per undas
Non intermisso diduxi brachia nisu.
Et dixi quàm sæpe! Nitescite sidera. Dixi.
Et tandem nituere. Nitesce, nitesce, meus Sol,
Astrorum face, candidior Titane meus Sol.
Exorere, & dispelle hyemes, noctemque resolve.
Exoreris. pulsæque hyemes, resolutaque nox est.
Salve tot quæsita quies & reddita votis:
Aurea pax. redeunt priscis e fontibus anni;
Lactis eunt, ibant toties qui sanguinis amnes.
Lætitiis terra incedit. vox lenta. vel ipsæ
Subsultant tetricæ rupes. Accurrite Gentes,
Et quas finitimo vicinior alluit æstu
Nereus, & quas subducit longinquior orbis;
Tuque prior toties propiùs miserata gementem, &
Sæpe dolore dolens nostro, commercia cœli
Quam paria, ingeniumque soli, veterisque querelæ
Oblitum gemino manans e sanguine fœdus
Germano sociat nexu, gratare sorori
Gallia; Sequanides properent ad litora Nymphæ,
Aspiciantque *Deus quæ nobis otia fecit.*
At tu, cui nostris toties e fletibus urnam
Intumuisse ferunt, occurre, sororibus undis
Lætitiam enarra, Thamisis: fluat Inda per artus
Carbasus, atque Hermo rorans inserpat arundo;

(a) *Similem ferè in modum Coulæus de spe. ad cujus carmen Anglicanum hic placuit emodulari.*

Cornuaque

Cornuaque attollens glauca (a) bicoloria fronte,
Britonidum, pulcher Thamisis, moderator aquarum,
Magnificùm freme per ripas, & labere fluctu
Arduus, Oceanoque patri tua gaudia misce;
Quàque pedem fers undisonum, oceanitides unà
Plaudentem lustrent choreæ: vestigia lambant
Et Zephyri comes, & Eteſiæ, & albus Japyx,
Exultans. procul Æoliæ pars altera cedat
Nimboſa cum pube, nec affremere ausit eunti.
Lætus agat tandem, & meliore ſuperbus avena
Paſtor oves: niveo generoſas vellere, quali
Pellexit Lunam cœlo deus Arcas ab alto,
Paſcat oves. Pulſa tandem rubigine lucem
Induat attritus vomer, docilisque juvencus
Ad munus Cereale volentibus imperet arvis.
Naviget: incidat tortos mihi Navita funes.
Segnes increpuere moras Peruanaque rura,
Et mitratus Arabs, & cinctu defluus Afer,
Et diverſus utroque Getes: Minyisque feruntur
Mirari, ſolito vacuos & Iaſone portus.
Hac fortaſſe tenus licuit confidere ponto
Parcius. aſt agnam belli modò fluctibus icit
Candida pax; pepigere fidem modò Tethys, & Arctos
Mitior, accinctique ſedent in litore venti.
Paruit, & velis immiſit nauta rudentes.
Ecce fugit, ſpumaſque ſalis ruit incita pinus:
Cornua, carbaſeique ſinus, & ſuppara ſumma
Feſtivùm crepuere. (b) pedem bonus alter & alter
Incidit an Pollux in utrumque? carina ſequaces
Antevolat ventos, &, ſubſidentibus undis,
Extremam fluctu in primo præſumit arenam.
Mox redit: & ripis comes adnatat India noſtris.
Voſque adeo, quos Parnaſſi per amœna vireta
Ducit amor, genus Aonium, quibus imbuit ora

(a) *Eſt enim mixtus fluvius ex Thama & Iſi.*
(b) *Dictio nautica de proſpera navigatione.*

Caſtior

Caſtior Hippocrene, & largiùs ungula manat:
Præque aliis vos, Muſarum quibus altiùs arces
(a) Vertice conſurgunt gemino, quibus affluit undæ
Dives Iſis, doctoque affunditur æquore Cama:
Laurigeram tempus, comites, exporgere frontem;
Ora probent lymphæ: deſueta refingite plectra
Ad numeros veteres, reducemque Amphiona rupes,
Orpheaque ſylvæ mirentur, Ariona pontus.
Rupibus, & ſylvis, & ponto ſurdior auris
Veſtra pellicienda fide eſt. et fortè rebelles
Anglia didiſcet faſtus, animoſque remittet.
Auſpiciis ſi fata meis decurrere vitam
Annuerent, &, qui reliqui, componere ſoles
Sponte mea, vacuum curis ante omnia Divæ,
Luſtratumque undis, arcanaque ſacra ferentem,
Acciperent gremio Parnaſſides. O ubi, Vatum
Excubiæ, bifido veteres in culmine ſomni?
Phœbus ubi? O quis me reſonabilis ad juga Pindi,
Ad latices Libethræos, ad Theſpia Tempe
Siſtat, ubi fotos lauri vocalibus vmbris
Permeſſi rorans guttis ſopor irriget artus?
Siſte. quis incautum tulit impetus? an Dea menti
Incidit improviſa? nec hoſpita ſylva ſopori
Illa meo, nec verò illi mea concolor ætas.
Et ſolitam, ſenſi dudum, mihi barbitos auram
Icta negat, ſolitamque negat Latonius aurem.
Vos, quibus articulus teres eſt, ad carmina quorum
Adrepunt lauri faciles, quibus integer ævi
Argutis micat in venis Heliconius humor,
Quos Deus ille, Deæque ſolent audire vocatæ,
Vos citharæ decet, ingeniique intendere nervos:
Vos animæ Aoniæ fœtus educite. Pæan,
Theſpiæ io Pæan referant ad ſidera valles.
Candida currite ſecla. ſacer præſagia Myſtes

(a) *Pernaſſi noſtri vertices duo Oxonium, & Cantabrigia. Oxonii fluvius Iſis, Cama Cantabrigiæ.*

E Clivo

E Clivo cecinit. vocem festivâ remittit
Pieris, assensuque antri cortina sonoro.
Hæc ubi jam laris umbrosi sub tegmine verno (a)
Mente volutassem, (vigil, an sopitus? utrique
An mage contiguus, neuter? fugientibus astris
(b) Certior esse quies, & (c) cornea sistere luci
Morphea sincerum solet. Atqui excedere noctem
Illa mihi visa est, & somno major imago.)
Rem præter solitum miram aut vidisse putavi,
Aut certè vidi. Vicino prævia soli
Jam propior lux albebat; transcurrere cœlum
Cardine nimbus ab Eoo, & Tithonide porta
Visus. eum maculis variabant (d) cærula fuscis
Vellera, suffuso ferrugo rubebat ab ostro.
Explicat inde sinus latebrosa volumina, & amplo
Orchestræ in faciem laxatur fornice nubes.
Apparent lances geminæ, sua pondera lances
Ambiguo librant examine: discolor æquat
Sed juga momentum. Sequitur, comitata catervâ
Virgineâ, forma ante alias pulcherrima Virgo.
Illi multus in ore rigor; nec læsa venustas:
Cui blandituros oculis miscebat amores
Ipse rigor. Sed nec leviter diffundere vento
Exleges dederat crines. a vertice nodum

Tamen oportet, Justitiæ divinæ non immemores simus.

(a) *Hìc piriter occurrit repetendum, quod monebatur in præmisso Argumento.*

(b) *Peripatetici enim, atque Academici magis probant somnia, quæ sub lucis ortum accidunt.*

(c) *Hoc est, ad verum magis accedens. & alluditur ad portas somniorum: quarum altera cornea, altera eburnea. per hanc falsa somnia exeunt, vera per illam. Rationem pete a Macrobio l. 1. in Som. Scip. c. 3. de cornea tunica oculorum, & dentium septo eburneo. quia quæ videntur, certiora sunt, quàm quæ audiuntur ore prolata.* (d) *Accipitur hìc pro colore vergente ad obscurum: ut sæpe.*

In

In teretem morſu tenui collegit iaſpis,
Liberior cyclas, & modicè porrecta, reſuſos
Aura ſinus, croceoſque hinc inde lacetſit acanthos;

Adducuntur ejuſdem exempla nota.

(b) Illic & veteres, & ſeras Numinis iras,
Et ſeriem irarum multam, pugnataque bella
Ultoris cœli, caſuſque ex ordine pingens
Dædala diſtinxit varios acus. Æthere ſummo,
(a) Caſus Angelorum. Empyrias cœli regio quà ſurgit ad arces,
In diverſam aciem miſtas utrinque phalanges
Cernere erat. connixæ illæ, penniſque coruſcæ
Adverſis Martem invadunt, & prælia miſcent.
Ecce autem ruit inverſis pars altera ſignis,
Turbinem agens agmen tenebroſum, & vertice prono
Volvitur ad terras. Nimbo non denſior unquam
Tempeſtas, tortuſve ſolum diverberat imber.
Tetra cohors; Dux horribili teterrimus agmen
Ore præit: ſulco ruptum ceu nubis hiulcæ
Aeris in campos vibratur ab æthere fulgur.
Limitem agit flammis: & ſulphure robora fumant.

Ejectio hominis e Paradiſo.

Non procul hinc hortum gaza ſplendeſcere verna
Fecerat, Armenii veris, Floræque Penates
Æternæ. croceo ſubtemen germine pubet:
Vernat opus, Floraque omni diſtincta Minerva.
Veſtis erat. Certant oculi. ſententia fertur.
Hortus erat. Viridem ſpatiis induxerat umbram,
Et vario lautum cultu frondentibus umbris
Pendentem Autumnum. Phrygius non talia dona
Vidit ager, nec Phæacæ pomaria Sylvæ.

(a) *Poterant alia exempla afferri. ſed hæc afferre placuit ob rationem poſitam in Argumento.*

*Si cui longior videatur hæc deſcriptio, ſciat modum eſſe inductionis poeticæ per exempla.*

(b) *Elegantiæ fuit veterum veſtibus figuras, & hiſtorias intexere. Notum ex Athen. l. 12. de chlamyde Demetrii, & Sidon. & ex Apoll. in Epithalamio Polemii de palla Jovis, &c.*

Hæc

Hæc inter ſcatebris ſurgens illimibus unda;
Decurrenſque nemus per textile, profluа ſenſim
In fluvium tumet. haud alio juvenilia mallet
Fata redordiri Cephiſia fabula rivo.
Fecerat & variis implexum tortibus Anguem
Arboris eximiæ per lævia brachia volvi,
Virginea inſignem facie, illecebraque juventæ
Pellacem, radiis ſquamam incendentibus auream,
Verſicolorem anguem. non illi ſibila colla,
Non avidi rictus, oculi nec ſanguine fævo
Suffecti. arrectum pectus, criſtamque, jubamque
Mille colorum obiere doli, per nubila qualis
Incedit luci adverſo Thaumantias arcu.
Fœmina ſiſte. latet colubri (fuge dona ferentem)
In dono coluber. Ramos pars cætera longo
Agmine ponè legit: rutilatque in cortice virus.
Quæ tamen illa minacem armant incendia dextram?
Ite, (a) pares Superis, nova numina. fortè pigebat
Noſſe bonum. deitatis adeſt pars altera veſtræ.
Fœda fames, diræ ingluvies uxoria menſæ!
Decoxit ſe, meque Nepos. (b) e ſentibus aſpris
Eruitur panis meus, & convivia ſudant.
Spina, cave mulier, teneras ſecet obvia plantas.
Spinea, Virgo, tua eſt, & ſpinea ſemita noſtra eſt.
Viventum dicenda parens, nova Nupta. ſed ornat
Vitalem Nympham Mors pronuba. Terra parentum
Pacta manet natos. Pomum hoc dotale marito eſt.
Parte alia cano ſpumans in ſtamine marmor, Diluvium.
(Æquor erat, vacuum ſed limite litoris æquor)
Et phocas turpes, & phyſeteras anhelos,
Et quæ monſtra ſeni glauco creat humida mater,
Addiderat. Montes hinc atque hinc gurgite ſummo,
Nubilus Apenninus, & Oſſa nivalis, & Othrys,
Jamque humilis, nimbos nuper raucumque tonitru

(a) *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.*
(b) *Spinas, & tribulos &c. In ſudore, &c.*

Despectans, fessisque astris datus hospes Olympus;
Vix medii eminuere. Feræ de rupibus actæ,
Hinc Pangæus arator, inhospitus inde Lycaon,
Ursaque jam siccas non irrisura sorores,
Et vulgus ruris varium vestigia miscent
Cum populo maris. Et nantes in gurgite raros
Fecerat imbelles ad sidera tendere palmas;
Sidera: sed medii prohibent commercia nimbi
Ulteriora: latetque hærens in stamine clamor.
Interea totum non secius actus in æquor
Nubibus abruptis ruit implacabilis æther.
Undas emolitur hyems; cœlique ruinas
Devolvi in pontum aspiceres, refluumque vicissim
In cœlum aggeribus tumidis ascendere pontum.
Hæc inter texti arborei surgebat imago
Terga premens salis indomiti. nec tonsa, nec alæ
Velorum apparent ullæ: nec nubila servat,
Nec clavum Palinurus. aquarum in montibus arbor
Acta ferebatur, nec, quò ferretur, habebat.
Ultrices undæ! (a) in vestro primordia rerum
Concrevere, tener vestro sub lumina mundus
Prodiit ex utero. generis spes ultima nostri,
Quæ superè, & mundus tenui natat in trabe totus.
Causa mali Dea. sed natalibus interit illa
Arreptæque facis pœnas expendit in undis.
Emersura. leve est & mobile Cypria numen.
Mortua? fœmineum genus est; & mortua fallet.

*Conflagratio Pentapolitana*

Hæc oculos ego cùm tacitus per singula ferrem,
Non procul inde novos objecit tela timores.
Infames an sola domat fax altera tedas?
Nempe venit nimbis ruptus flagrantibus imber
Tetrior; accenso fervent in vellere flammæ,
Immissusque ostro dirùm rubet aureus ardor.

(a) Oceanumque patrem rerum. *Virg. 4. Georg. ex opinione Thaletis, & veterum Philosophorum, qui omnia ex aquis generari asserebant.*

Sulphurea

Sulphureus ſævit vapor, ignivomæque procellæ
Turbo vorax. urbes, tabulata per alta volutis
Vorticibus flammarum, acies Vulcania regnat
Per medias; populant tedæ ſylvaſque, lacuſque:
Fumat humus, denſæ candent in nube favillæ.
Corripuere viam trepidi per opaca locorum
Obverſi in ſaltum, quà ſe ſubducere campi
Incipiunt, tumulique leves attollere callem,
Vir, conjux, natæ geminæ. Quò lumina, Virgo?
Fœdifragis oculorum acies ad mœnia flectis
Sulphure digna, ſacroſque lares. Riget illa; ſalemque
Artifice argento mentita reſiſtit imago.
His auro, ſpirant aliis in marmore vultus.
Sola ſalem Lothis meruit? non Lothida ſolam
Commendant famæ vultus in terga retorti.
Undique multiplici textam formidine telam *Serpentes igniti, &c.*
Cernebam. Ignitis ardent ſerpentibus iræ;
Infigunt morſus, animamque & virus inhalant
Lethiferum. Denſa plaudit ſub nube coturnix:
At condit Mors atra dapes, & funere menſam
Inceſtat. Labe immani deſidit, & ipſos
Immiſſo Manes exterrens æthere tellus
Hinc ſcelus haurit in abruptum. Pendentibus illinc
Objectu vaſto ſaxis, aſperrima rupes
Tollitur in cœlum. ruit extimulata ſiti plebs,
Circumfuſa. flet uda ſilex, & verbere cæſa
Liquitur in fontem. At grandævi funeris umbris *Aaron.*
Redduntur ſuprema. jacet frondoſa pheretro
(Triſtes exuviæ, & fidei monumenta caducæ)
Virga, coronales apices, & ianthina byſſus,
Mala, bis & ſeno totidem cum nomine gemmæ,
Et ſacro fluitans non ampliùs infula collo.
Te quoque, magne Pater, votorum in margine cerno *Moſes.*
Supremo poſitum. Phaſgæ de vertice terram
Deſpicis expectatam olim, fugientiaque arva,
Et longo, per iter cæcum & loca ſenta, petitos
Circuitu annorum fines. Ephraimque, Manaſſemque

Obtutu legis, & ſpatioſam Nepthalis oram,
Quàque patet latè Judas projectus in Auſtrum,
Extremiqne ſinus pelagi. Ditiſſima terra.
Par opibus formæ ſpecies, Sic ora ferebat,
Sic oculos, ſic purpureo vernabat amictu
Longo ducta gynæcei Natura receſſu
Eoi in thalamos (a) horti. Lætiſſima ſalve,
Lacte fluens, manans & mellis nectare tellus.
Sed moritur. tellus alio luſtranda ſub axe eſt;
Et ſacer hoſpitio ſedem parat exulis umbræ
Thariadæ ſinus. An Moſi tam ſaxea rupes?
Digna, fides quam, ſiqua potens magis, in mare tollat.
Flent ferrugineæ valles, epicedia miſcent
Atrati montes. it funebris ore ſacerdos
Incompto, pronamque manus faſtidit acerram.
*Hìc ſitus eſt* tumulo inſcribi juſſere Camœnæ.
(b) Incertum ſedes at fugerat invia vatem.

*Nationes variæ.*

Inde ubi deflexiſſem, agitata lacinia gentes
Obiecit ſpectanti habitu, vultuque, modoque
Diverſas; Garamantas, & ultima Bactra, dieque
Nocteſcentem Indum nimio, Phariumque Canopum,
Quaſque ſecat Ganges, & quas Pactolus arenas,
(c) Arſacium ſolem, atque Othomannæ cornua Lunæ.
Omnibus his minitans æther, & cuſpide telum
Immjnet adverſa; dextramque e nube tuebar
Implicitam capulo, qualem, cùm flammea cœli
Porta tonat, flagratque Dieſpiter, acer Apelles
Armatam nimbis oſtendit, & igne rubentem.
Igneſcebat apex frameæ, ſurgebat in undas
Ardor, & extremus rorabat ſanguine mucro.

*Anglia*

Tuque Nurus tu Nerines formoſa, perenni
Et maris, & curarum æſtu perfuſa tuarum,

(a) *Paradiſi ſcilicet.*

(b) Et non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem. *Deuter.* 34.

(c) *Perſas: quorum numen Sol.*

Extremam

Extremam infelix implebas Anglia telam,
Infelix? nam quæ felicior? orbita fines,
Uſquam ſiqua fuit, luſtrat Saturnia noſtros.
Attamen ille quis ora (a) Deæ, comitumque ſeverus
Inſedit terror? necdum exaturata reſedit
Ira? reæ num quid ſupereſt de ſanguine venæ?
At quas non terras nuper, non æquora tinxit?
Anglia, tange aras. & adhuc ambire minantem
Obſequio poteris. da thura; crementur odores.
Votivo poteris celare piacula nimbo.
(b) Illa nihil. Clauſo coeunt aulæa theatro.
Avertentem atri nimbi, Boreæque curules
Avexere. (c) Fragor, triſtiſque ſecuta tubarum
A tergo vox, & gemitus, & clamor, & iræ;
Tum ſqualor gravis, & pheretrorum funebris ordo:
Hauſturiſque urbes fatalis ab ignibus ardor.
Sol oritur, lucem terris, & me mihi reddens.
Fallor? an hi nubis ludi? num talia fingunt
(Haud equidem reor) aereæ ſpectacula ſcenæ?
Excutior tandem, & ſuſpenſus numine multo
Rura (d) procul circumſpicio ſubjecta, ſituſque
Villarum dulces. hæ prono in margine pendent
Clivorum, has querulæ per valles ambitus undæ,
Et depreſſa tenent: fugiunt in opaca, ſinuſque
Sylvoſos aliæ; fumuſque in culmine vernat.
(e) Ruris alumna, meis olim gens hoſpita Muſis,
An par hoſpitio merces? Nec roſtra, nec aulam,
Nomina ſeu prætexta, nec alta theatra, nec urbem
Aſpicio; ſed nec turbas ego, ſeu quod in urbe
Urbis ineſt. Pars naturæ ſincera, prioris

Circumſpicit Poeta ex eodem loco rura ſubjecta.

(a) *Juſtitiæ.* (b) *Juſtitiis.*
(c) *Indicia bellorum, peſtis, & incendiorum, quæ conſequebantur.*
(d) *In vicino, pro oculis, ut accipitur nonnunquam.*
(e) *Horum de Rure occaſio ſumpta potiſſimùm ex eo, quòd Princeps ſe contulerit eò in fugâ.*

Ævi flos illibatus. bona si modò nostis,
Quæ vestræ recubant humili sub fronde myricæ,
Gens o fortunata nimis. Si limite Parcæ
Signarunt tenui vitam: non æde lacunar
Sidonium in laxa splendet, nec rupe recisas
Mygdonia testudo premit specioſa columnas,
Palla nec Indorum filis illusa refulsit:
At cultus morum, & censu casa simplice dives,
Virtutis domus antiquæ tibicine fulta,
Pax indelibata, proculque nocentibus armis
Pacis opes, & damnosæ mens insciа culpæ,
Et responsuræ culpis mens insciа curæ,
Non desunt. Si non mensis accumbit eburnis
Lauta fames, gemmave sitis bibit: at neque terret
Seta dapem. Ambitio sæva, Insidiæque per oras
Auratæ lancis serpunt, similesque (a) parenti
In vino libat genialis concha tumultus.
In vili tutum. Modici nec rixa salini
Nec livor condit cœnas. Quàm læta diurno
Empta labore quies, cui somnia temperet albo
Vespertina teges! portæ cùm limen ad aureæ
(b) Apparet timor, armatus licèt, at timor, & nox
Ægra, soporque vigil. Ruri sed nec sua deerat
Regia; nec forsan minùs aurea: Thyrsidis aulam
Cùm Tituli intrarunt nulli, nec sorduit auro
Læsus honos. Erat, & Dryades meminere superbæ,
Tempus erat, cùm sylvestris mutaret aratro
Consul ebur: cùm, quæ tauris juga dempserat, hosti
Indueret, terræ dominis dans jura, colonus,
Farra serens, & regna metens. Se fictilis aureum
Jupiter e Sylva peperit. Rus montibus Urbem
Et mundo imposuit. Nobis ingloria sordet
Sylva? tuum tamen est, Sylvane, quòd Anglia regnat.

Surgit, & amici hospitio excipitur.

Surgo, & vicinas pavidus, quà semita monstrat
Proxima, suspensusque animo, divertor ad ædes.

(a) *Mari.* (b) *Apparitoris munus exercet.*

Hic

Hic, ubi pulſa fames epulo breviore, ſitimque
(Nam neque vitea erant, nec erant Cerealia. caſus
Sic tulit.) infuſis Acheloia pocula citris
Reſtinxere, gravem fingens ad mollia frontem,
Quiſquis es, Hoſpes ait, felix ades, & Jove dextro.
Splendida erat nobis,& erit quæ ſplendida ſemper,
Vertentes annos (a) Carolo quæ læta reclusit,
Altera lux. meliore meas ſignanda lapillo,
(Interdum, inque loco fluimus; curiſque nec ipſi
Stultitiam miſcere brevem vetuere Catones)
Et nectar Genio fundens, & debita dona,
Alterno peſſum illa dedit certamine cellas.
Hic oculis hominem menſus propioribus, At te
Noſſe aliàs, inquam, videor: nec fortè tua me
Mente dies aboleverit. Improbus ille, meoque
In vultu fixus: Naris quia forſan obeſæ,
Hæreo; mox, Occurris, ait. veſtigia retro
Priſtina, ſervatos ſi ritè remetior annos,
Scotus ego, tu Gallus eras. an te fugis? & jam
Bis centenam egit rota Cynthia, ter denamque
Sub terras hyemem, Aurelæ ſub mœnibus altis
Ex quo bellacis Nymphæ nos ſigna ſecuti
Contulimus duce ſub Calabro zonamque, manumque,
Conque tubernales Ligerino in ceſpite ſomnos.
Panthoides; inquam. Sed ludicra mitte. licebit,
Communes ſpatiis brevioribus inſequar annos.
Oxonio prò quantus abis! Grus advena, credo,
Excidit. At cujus pluma candeſcere Corvum?
Subſtitit; irrubuitque. alludere plura paranti
Cætera ſurripiens in collum invaſit: &, Idem
Tune mihi ipſus, an ipſus, ait? ſex addita luſtris
Altera jam ex illo meſſis. Rhamnuſia ludum
Ex illo varium luſit. ſed, amice, tot inter
Cyclopum ſcopulos quo naufragus aſſere ſalves?
Hic reliquas multo ſermone fefellimus horas.

(a) *Erat enim natalis Principis dies Maii 29.*

Inſtaurat

Inſtaurat menſam veſper, menſamque ſecutus
Excepit ſopor, excepit ſua pluma ſoporem.
Poſtera ubi radios in ſomnum Cynthia lampas
Injecit primos, e molli membra cubili
Corripio, velox & roſcida prata reviſo.
Nec matutinus minùs hoſpes; Et ecce ſereno
Aſpirant, ait, Eois e finibus auræ.
Luſtremus campos libet, Auroraque fruamur?
Pergimus, alternoque viam ſermone levamus.
Inde, ſolum ut tumuit tumulis acclive, ſupinum
Cœpimus obniti in callem. pede fervidus urget
Aſcenſum comes. inſto viam. conferre ſed æquæ
Lite gradum prohibet non æqui poplitis ætas.
Defeſſi tandem conſidimus. editus amplum
In valles dat deſpectum locus. undique Juni
Apparent incuntis opes, & puberis anni,
Umbriferi ſaltus, arviſque natantibus Euri
Impulſu turbata Ceres, viridesque procellæ.

Narrantur ab hoſpite nonnulla, quæ digreſſum e Vigornienſi prælio excepere, occaſione capta a locis ſub aſpectu poſitis.

Quin age, (ſermoni cœpto comes inſtat) & iſtam, (a)
Complexu procul arboreo quæ ſecubat, ædem
Reſpice, virgineo notam candore, patrumque
Relligione ſacram. teneris dat candida veſtis
Virginibus, necnon (b) ſedi per ſecula nomen
Concolor. Excidio infelix Vigornia poſtquam
Subſedit, (neque enim tantæ cum flore juventæ
Belli hujus licuit Carolo componere laurum)
Res acta, & ceſſum fato eſt. Plaga lucida cœli
Vertitur interea, e gremioque parentis opacæ
Surgens opportuna diem, quæque impia fecit
Damna dies, Nox involvit, rebuſque colorem
Abſtulit aſpectu fœdis. quà proxima curſum
Spes dedit, huc ducente fugam regione viarum

(a) *Hìc demum Lector in hac narratione, quæ continuatur uſque ad finem circiter pag. 77. meminerit, qua adnotabantur in Argumento.*

(b) *White Ladies: ſive Dominæ candidæ.*

Tenditur

Tenditur. hoſpitii niveum non diſparis offert
Hæc omen ſtatio. In peditem, & ſine nomine plebem,
At nodum pugnæ ingentem, violentia campi
Tota, & flagrantis belli incubuere ruinæ.
Seu cæſi, ſeu capti omnes. ſors ultima cæſis,
At potior cecidit. Patriam, compendia ducunt
Quà propiora, fuga repetunt Calydonides alæ.
Irrita res. patriæ paucis permiſſa poteſtas.
Egregiæ nimirum animæ, & melioribus ortæ
Sideris Arctoi radiis. quàm, ſiqua priori
Inſedit famæ, labes eluta, novumque
Claruit ad proavis dignum nova ſemita nomen!
Veſtro ſancta fides eſt ſanguine, ſanguine ſancta
Integri vigeant in relligione minores.
Cardine in hoc rerum tanto, quò tenderet, anceps
Hæſit in ambiguo Princeps. ceſſare vetabat
In peius præceps hora, in mediumque jubebat
Conſulere. In varias Procerum ſententia partes
Scinditur. Hic ſubitus media inter talia rumor
Diditur in vicino hoſtem, jamque affore certum,
Conſiliiſque inſtare diem. mora rumpitur omnis.
Fractæ conſultura manet fuga ſola ſaluti.
Non ſecùs ac moniti properant, invitaque mœſti
Corpora ſubjiciunt in equos. ad terga labores
Diverſi, & ſors poſt equitem ſua quemque ſedebat.
Quæ cuique acciderint diſcrimina, mitto: nec hujus
Eſſe putes operæ forſan meminiſſe, nec oti.
Perge, inquam. Noſſe illorum mihi contigit unum
Enumero: nec Famam olim meminiſſe pigebit,
Dum laudi, & meritis maneant ſua præmia: dignum
Patre, ſed aſtrorum placitis melioribus. Exul
Nobilis ut poſtliminiò remearet in urbem,
Cura domus tulit. at capiti, cauſæque macello
Addictæ metuens latebris & noctis aſylo
Fidebat. nec me latuit quam prenderat arcem.
Sermo illi pugna ſuper, & diſcrimine ſummo,
Digreſſuque frequens. illo narrante ſuorum,

Communisque fugæ casus, quàm sæpe sub axe
Nocturni Jovis ipse per invia tesqua, viæque
Fallacis vario perplexos tramite saltus
Ferret iter, nunc diffugiens, nunc aure maligna
Arripiens sonitus omnes, noctemque, diemque
Adversam, plenam incertæ formidinis illam,
Hanc latebris non usqueadeo, furtisque faventem,
Incusans: quàm sæpe famem vapidave polenta,
Semesave penu depelleret, & dape cruda:
Cæteraque, hibernos retulit quæ serus ad ignes;
Ingemui sæpe. & narrantis ab ore pependi,
Abstiteruntque meo lachrymæ auscultantis ab ore.
At siluisse licebat, ait comes. ut mihi luctum,
Sopitosque moves animos! mihi vulnus adactum
Altiùs,& memorem doleo crudescere curam.
Nam capitis menti alterius funesta recursat
Heu capitis chari species. quàm sæpe, sub armis
Dum pugnacis equi premeret luctantia colla,
Hærebam affixus lateri! caput atra bipennis
Abstulit, & lacerum vidit (a) Boultonia funus.
Ille ubi (b) regali multùm flens oscula dextræ,
(Triste ministerium) supremamque ore salutem,
Qua non ipse potiturus, libaverat heros,
Conscensis extemplo in equis (ex ordine deni
Vix toto quater) a gemitu, fletuque capessunt
Auspicium cursus primi. Sub margine sylvæ
Extremæ, bivias aperit quà cædua fauces,
Arboreum inde vides ingens ut vulgus inumbrat
Ulmorum par, aereoque cacumine nutat?
Illac, ad dextram exterior quà semita ducit,
Se trepidi glomerant in iter. ferrata fatigat
Cornipidem calx, & piceam rapit ungula nubem.

(a) *Oppidum in Comitatu Lancastrensi, ubi Comiti Derbiensi caput amputabatur a perduellibus.*

(b) *Nam digredientibus cæteris substitit Carolus in vicinia Whitcladiensi modò memorata.*

Ecce

Ecce autem captivæ urbis per mœnia furtim
Elapsus (multa interea divortia, circùm
Agminibus fusis, speculaſque insederat hostis)
Exploratorum fugiens infesta sequentum
Arma Leviſtonus spumantem in pulvere frænis
Immissis agitabat equum, campumque terebat
Fervidus. illum ardens districta cuspide prædo
Insequitur; pulsu alipedum gemit ardua tellus.
Respiciunt, animi ancipites. tum fusus in orbem
Fit globus. in tutos elabitur ille receptus.
Hostis abit, retroque datis aufertur habenis.
Inde novus turmæ comes additur. illa (a) cohortes
Dudum certa Caledonias apprendere cursu
Urget iter cœptum, & propero quatit agmine campum.
Jamque e conspectu saltus, primaſque novales
Transierant, Neoporta, tuo. pars lentiùs ire
Et vultu spes afflictas attollere læto:
Pars alacres descendere equis, &, siqua fesellit,
Qualia multa viæ veniunt, attrita supellex,
Instaurare manu, & parti succurrere læsæ.
Sublatis hic fortè oculis procul æra cieri
Conspiciunt, atque, ut passim discluſa dedere
Effugium soli tenues per nubila rimæ,
Luce laceſſiri. visum intercepit oborta
Caligo, (b) dumisque paluſtribus obsita vallis.
Confestim (c) Scoto unanimes, sociisque catervis
Acclamant: signis sociis adjungier ardent.
Subsistunt tamen. Inde frequens campestribus ulmis
Interjectu amplo fecit discrimina lucus,
Molle siler, glaucaque salix quem fronde coronant.

(a) *Cohors peditum propria. Virg. Æneid.* 11. *transtulit ad equites.*

(b) *Dumi illi erant ad dextram, tum modico inde spatio Lucus ad sinistram.*

(c) *Scoticæ enim turmæ, quas falsò autumabant has esse, præcesserant proximè sub captam urbem.*

Adverſos hinc in colles dum prodeat agmen,
Expectant taciti, ſpecularíaque inſuper arma
Expediunt, inque apta tubos diſcrimina laxant.
Hæc inter denſant auræ, pulſataque longè
Dat ſonitum tellus. gemitu ille & turbine cæco
Allabi tractim, motæque horreſcere ſylvæ.
Diverſi circumſpiciunt. tum certior, inde
Certior advolvi ſonus, & clareſcere murmur.
Emicat e dumis, citimique crepidine ſaltus,
Quà non ſperavere, malum. vomit undique belli,
Quà patuit, nemus adverſis e faucibus undam.
Sic quibus Americen amor eſt inviſere, longus
Incertos, notique emenſos fidera mundi
Exercet labor. interea, quà margine viſum
Terminat, extremumque polo contexitur æquor,
Sæpe globum obſcurum cernunt, falſoque propinqui
Litoris indicio capti, Tritone ſecundo,
Conclamant terram; ventos nec gaudia ferre
Vana vident. (a) aliud quid erat, quàm nubis aquoſo
Conceptu turgens ſinus, in cumulumque coacta
Tempeſtas, ſufferta notis & Orione toto
Fœta domus? mox, emiſſo per cærula nimbo,
Turbinibus totum involvit mare. lintea cogit,
At peritura, fidem ſi luſerit anchora, pinus.
Pergo? mora ſæmat, invitus qui pergit. In hoſtem
Tentanda, & ferro turmas rumpenda per ipſas
Reſtabat via; ſed, numero ſuperante, procellæ
Ceditur: avertuntque. negat Pudor, & Pudor addit,
Imperii frænum indignans, animoſior alas.
Jamque incumbebat tergo, calcemque premebat
Prædæ avidus tantæ miles. novus ecce minatur
In frontem, adverſoque ſupervenit agmine terror,
Decurritque jugis, infeſtaque tela coruſcat.

(a) *Indicium uſitatum turbinis, quemadmodùm à Nauta Indico accepi, quem & Hurricanum appellant, præſertim in mari Americano.*

Tum

Tum verò concussi animi: exanimisque vicissim
Terga dedit spes. aversi in diversa, secat spem
Qua sibi quisque, citoque feruntur in avia saltu
Præcipites. Quàm lenta fuga est, ubi fata sequuntur!
Urna tamen quàm dissimiles ciet arbitra sortes!
Præ reliquis, Derbi, infelix! ut moverat urna
Nomen iniqua tuum, non exorabilis uni
Injecit tibi Parca manum. crudelibus Heros,
Et fidei magnæque animæ reus, occubat umbris.
Heu charum caput! immerita cervice revulsum.
Occidit: & (a) positum affata est Boultonia corpus.
(b) At tu, quam coluisti animam, Regina volucrum,
(Vincla soluta) tuo comitem comes infer Olympo.

Carolus interea quid agit? Fastigia lucus
Illorsum, viden', ut patet in discreta biformis?
Boscobel illa tibi est, multa notissima fama
Boscobel, & nostras inter cultissima sylvas.
Carolus hic, & solus adest sibi. solus. at ægrum
Quot circumsistunt curæ! Vigornia, causæ
Contusæ facies miserabilis, eruta bello
Spes rerum, insultans hostis, fuga, terror, in ipsis
Omnia sunt oculis extrema. Strepentia nuper
Tympana, cornipedum fremitus, ærisque canori
Classica personuere aures; nunc murmure soli
Diverso alituum questus. Eques atria nuper,
Excubitorque frequens sepsit; nunc ultima restat
In vacuo tutela. Latus regale cohortes
Arboreæ stipant saltem. Famulone caduceum
Subsidio in bellum venient? hastilia spondet
Fraxinus? armandos Taxus se torquet in arcus?
Audet, & æquoreis occurrere casibus Alnus

Relinquitur interim Princeps solus in primo secessu nemoris Boscobellani;

*Comite ad tempus digresso ad alteram nemoris partem, ubi Pendrelli habitabant,*

(a) *Vox funebris & Libitinaria, quemad modum & verbum*, affata, *more veterum.*

(b) *Allusum ad historiam mirabilem Aquilæ nostratis Derbianæ, & Apotheosim Heroum apud veteres.*

Abiete

Abiete cum ſocia promittit, utramque futura
In ſortem comes? & forſan Berecynthia Buxus
Tympana, matremque Idæam, Querceta Tonantem,
Populus Alciden jactat. Sed non ope tali,
Non armis his tempus eget. ſi fagus egeno
Perfugium, ſi tantiſper ſub fronde latebram
Præbeat umbra, ſat eſt. Juvenem nunc (a) altera fregit
Fortunæ ſeptembris hyems. Septembria vobis
Sidera veris habent multum: neque proxima Pleias
Sparſit adhuc ſylvis tabem. ſuccurrite nudo,
Dum licet, & foliis operite. benignior olim
Auxiliatrices Aquilo ſic tondeat umbras.
Spiſſum erat, ut memini, cœlum. ne fortè latebras
Luce mala præſens offenderet, inter opacas
Se nebulas clam ſubduxit, tenebriſque modeſtus
Indulſit ſol. Afflicto polus inſuper humens
Addoluit. ne ſed nimio tamen imbre noceret,
In rores nimbus pendens abit. Ille ſub (b) ulmo
Conſidet, & varia confuſus imagine mentem,
Ut circumſpexit ſeſe, lachrymiſque, dolentis
Angores animi quibus immaduere, pepercit,
Hæc ſecum. Mene hanc animam ſervaſſe (nefandum!)
Caſibus his? & non potuiſſe tot inter acervos,
Et cædes miſerorum Umbris, Pater optime, natum
Adrepſiſſe tuis? Et nunc dulciſſima Mater
Promiſſi, lauru miſſum quod ſæpe revinxi,
Expectat ſpe plena fidem. fors & prece multâ
Thurea dona tuis adolens, Lutetia, templis
Vota facit. Vivo. Superis vel ſic rea Mater
Me debet. Vivo? Nimio de ſtamine cogit

(a) *Prima ſcilicet fuit in prælio Dunbarrenſi, eodem menſe Septembris, anno ante hoc Vigornienſe prælium proximè ſuperiore.*

(b) *Novi, quam arborem poſuerim. Eſt enim Quercus illa memorata, in qua latuit Princeps, in altera parte nemoris,*

Ruſus

Rurſus cura queri. cur non periiſſe licebat,
Cùm periiſſe decebat? an eſt mihi veſcier aura
Tanta cupido? diu vixit, quem vivere tædet.
Si vicibus rerum numero, non ſolibus annos,
Conſenuit dudum ægreſcens & cana juventus.
Humani, ſic permiſit natura, dolemus.
Et mentis quis non livet ſub nube malorum
Vel ſummæ color? At, veniam quod fortè dolori
Conciliet noſtro, ſatis eſt. Fortuna, gementem
Quæ ridet, ſimul excuſat. Me ſortis in orbem
Dudum egit rota: nunc toto me turbine verſat.
Dedecet at Regem nimius dolor. ut minùs ictum
Diſtineat, non ſuccumbat tamen. imperet, armis
Et regno exutus, ſaltem ſibi. Contigit (a) ævi
Noſtra gradus jam nunc ætas, quibus arbitra cœpit
Eſſe ſui. Vitæ ſed præſidet arbiter omni
Major. ei me dedo. malis cui texere viſum eſt
Prætextam, ille togæ filum (quid nempe recuſem?)
Quod lubet, immittat. Tanti cùm Numinis urget
Imperium, ut nolim, ſequar: obſequioque rebellis
Invito fiam. Cœlum incendiſſe querelis
Haud licet. Et Superorum iræ mortalia curant.
Formidant ferrum ſylvæ. tamen utile ferrum
Compeſcit rus exuperans. Humana cupido
Spargitur immodicè. faſtum hunc, luxumque fluentem
Votorum, nimiumque hominem depaſcere juſtum eſt.
Teſtor, dulce mihi quondam, nunc flebile nomen,
Patria, dulce tamen ſemper, tua vulnera pectus,
Quàm mea, confecere magis. moderamine clavum
Qualicunque tuum tenui. me præſide, durum eſt
Te laceram, inflictamque vadis periiſſe. Procellis
Si, patria incolumi, cecidiſſem victima ſolus,
Felix nunc ad ſaxa cinis, lætuſque jacerem.
Quid loquor? an totus perii? incubuiſſe ruinæ
Urgenti miſeros Deus improbat. An mihi tandem

(a) *Annum ſcilicet* 21.

Afflictæ

Afflictæ sic ad terram, fractæque jacent spes;
Ut non respirem? cecidi. jubet ille? resurgam.
Non, si nunc hodiernus, eodem crastinus æther
Imbre madet. qua nunc subter confidimus, & quæ
Defendit pluviam hospitiis florentibus ulmus,
Nuda, rigens, similisque mei, dequesta rapinam
Imperiosæ hyemis, fœdata nivalibus Euris
Brachia tendebat cœlo. quæ, plumea pubes
Mœrorem solata meum, nunc cantibus aures
Demulcent, bruma populante cubilia, mœstæ,
Justitio indicto sylvis, siluere volucres.
O sortes hominum arcanas! O invia Divûm
In seseque recedentis sacraria cœli!
Hunc monet, incursu valido ferit hunc Deus, illum
Territat, aut telo stringit levis ira (a) secundo.
Justitiæ facies dispar; & verbera cædunt
Non eadem. sed quemque manent sua. Verbere cædor:
Sed quali natos solet exercere benignus
Virtutum exactor Deus. hoc solamine curas
Tempero. sunt, non diffiteor, solamina; duro
Qualia sed veniunt a verbere. Dixit. (b) At aura
Instrepuit foliis. & proxima tendere contra
Per dumeta Senem sensit. Sylvescere vultu,
Atque habitu, infusoque humeris sine lege capillo
Visus. at, abstulerat si non præcepta pericli
Suspicio mentem, potuisset regius illo

(a) *Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum Sævitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ: Tela secunda vocant Superi.*

(b) *Offert se Nato in illa solitudine Pater, sed habitu sylvestri, toto tempore incognitus.*

*Poterat hîc ab eodem Narratore aliquo modo commodo, eoque, qui cum Argumenti instituto conveniret, aliter induci idem Pater, & varia alia inferens de futuris, de modo gubernandi, &c. sed erat, quod suadebat, ut a proposito desisteretur.*

Agnosc

Agnosci sub rure Pater. Tum lumine corpus
Ambiguo totum lustrans ita commodus infit.
Terreris, Pugil, & terres. juvenilibus errat
Terror uterque genis. Immunes crimine curas
Solve metu. nec sylva timet, nec sylva timetur.
Hæc te si servet, Patri non defore credam
Elysium nemus. O Superis quàm dulce, quod ulnis
Amplector, caput! Ille silet; gaudetque: nec, unde
Gaudeat, allucere videt: natumque fatetur
Inscius. Imperio potiere. at cætera Numen
Effari vetat. Hoc tantùm. Te plurima passum
Plura manent. Zephyri medio in discriminis æstu
Cùm te deficient, inopino flamine mittet
In portum (*a*) Boreas. Monstris *fatale* domandis
Cardine ab Arctoo missum venerabere *Nomen*.
Hic tibi — prô, animi largus fideique, futurus
Et largus dextræ. Illa spei scintilla superstes
Sola tuæ. manet illa focos scintilla triumphis
Incensura tuis. *Ignis* dicetur (opacæ
Ut mentis modò caligans in *Nube*) *columna*,
Per deserta Poli fœdus præitura. sequentur
Et Pax, & Pietas, & victa Britannia victrix.
Ille litat Marti sine sanguine. Sub Duce tanto,
(Dulce Patri munus cognomine!) sub (*b*) Patre tanto
Vives. Tu cineri funus, cùm fata vocabunt,
Instaura. Fati non intrat Fama tribunal.
Tantum effatus. & in verbo diffugit. At ille,
Quò non nota mihi mea gaudia? Dixit. & adsunt,
Hospita quos comitis monitu vicinia misit.
Hic tandem, ut rerum dubius formidine multa
Libraret spes oblatas, at fallere lucem
Hic tamen, atque hostem placuit. Fugientibus æstum

Latet Princeps habitu mutato, & committitur tutelæ Pendrellorum: *Qui nemoris partem alteram incolebant.*

(a) *Subsidia viz. copiarum Anglicanarum, e Scotia sub Georgio Monko, Duce d'Albemarle.*

(b) *Carolus, cùm primò illi occurrisset Dorobernii, compellabat illum & Patrem suum, & Patrem Patriæ.*

Pro portu quævis ſtatio eſt. In nube latebram
Sol habet. ut lateat nobis, ſibi lucet: & ipſo
Nil de ſole perit. Titulos, inſignia, regem
Exuitur totum. Mox ferro tonſus agreſti
Undique decrevit vertex, aulæque comantis
Luxuries poſita. auriculam ſed fuſus ad imam
Perpetuo cirros gyro tumet orbis in æquos.
Tum placuit ruri ſimiles inducere vultus.
Infectæ miſta pallent ſuligine palmæ.
Tum vetus e vituli ſpolio & malè commodus ambit
Regales artus thorax, oliduſque, nitenſque
Affrictu pingui. praſino de gauſape turgent
Inflexæ ad ſuram, ſubſtricto poplite, brachæ.
Par crines umbrat petaſus, par faſcia ſuram
Involvit, par aſtringit veſtigia pero.
In manibus robur nodis & cortice crudum.
Et totum rus induitur. Pendrellia circùm
Aſſiſtit pubes, & ſe miratur in illo.
Pendrelli fratres, humili de ſanguine nomen,
Quos genuit pia pauperies, & nullius aulæ
Simplicitas aluit. ſylvis educta juventus,
Natales ultra curas extendere mentem
Aſſuetam parvo, Celeique excedere gazam
Neſcia. rerum omne imperium brevis aggere fundi,
Septoque hortenſi, atque anguſtæ limite caulæ
Terminat ambitio. fragili magalia culmo
Cœlum arcent, facilique famem dape frigida menſa.
His ergo raptus Juvenis de rudere belli,
Anglia quo læſo cecidit, quo ſoſpite ſurget,
Fortunæ redituræ obſes, ſpeſque unica rerum
Credita? Sic magnorum operum fundamina ponit
In nihilo Deus. Acciſis ubi viribus arces
Defecere, (a) levem porrexit aranea telam.

*Tentatur fides unius e fratribus Pendrellanis.*

Horum unus (ſolvendo æri lux affuit) æris
Solvendi reus, admonito priùs Hoſpite, pagum

(a) *Alluſum ad hiſtoriam Felicis.*

Ind:

Inde ad contiguum velox conceſſit. In hoſtes
Delapſus medios ſenſit miſer. undique pagum,
Atque aditus triviorum indagine preſſerat hoſtis.
Illum ubi conturbatum oculis, varioſque colores
Pallentem, preſſo hærentem pede, mentis & ægrum
Conſpexere, (neque hæc animos tum ſola momordit
Suſpicio. prædæ propior, nec inanis, opimæ
Contigerat nares odor.) addenſare frequentes
Agmen, & infuſa pavidum ſepire corona.
Multa ſuper Carolo rogitant: mercede, miniſque
Humfredum aggreſſi. Merces at caſſa, minæque
In ventos abiere. ſua ſtat mole, nec ullâ
Illecebrâve, metuve labat Pendrellia virtus.
Arreptum ſubitò juvenem in conclave retrudunt
Arbitrio ſubductum omni. ſibi redditus, uni
Addicit Carolo verſatque per omnia curas.
Hæc inter crepuere fores, foribuſque recluſis,
Ecce tibi quidam Humfredo ſat notus (amores,
Et curas olim ſimiles convictus alebat)
Improviſus adeſt. deſerto rure, merebat
Miles equo. calamus dudum illi, & tibia vilis,
Et litui potior viſus canor; artificemque
Nomine pro tenui fandi doctiſſimus uſum,
Salve, ait: amplexuſque virum, Dulciſſime rerum,
Ut te conſpicio lætus! Nec deficit alter,
Certandi, pro rure, ſciens: gaudere jubens, &
Rem ſalvè gerere. Officii data, reddita ſueto
Mutua more ſalus, aſtrictaque dextera dextræ eſt.
Suſcipit ille. Tui miſeret me. nonne ferinæ
Pertæſum vitæ? pecora inter inertia ſtivæ
Devotam finis æternùm marcere juventam?
An totum glebæ vili ſic infodis ævum?
Tempus erat, (a) cùm (ſic didici) ſub cortice trunci

(a) *Fabula inde orta, quòd primi homines ſylvas incolerent. In lib. Anth. inducitur Quercus petens a lignatore, ne ſe exſcindat, ut priorem matrem.*

Geſtarent uteros, menſemque puerpera ſylva
Excuteret decimum. viridis puer ilice fœta
Excidit, arrepſitque virentis ad ubera (a) mammæ.
Heus bone, tu gentile, reor, quoque germen es inde.
Principiis ſunt & rudibus ſua ſemina laudum.
Excole ſis, Humfrede; ſolo committe feraci.
Belliger hæc reſponſuro fovet ubere campus.
Dedidicit modò canities mihi prima juventam:
Quem fatuos etiam experientia dedocet annos.
Natales humiles an humum nos lambere cogunt?
Educta in ſoles alios ignobile planta
Exuit ingenium; quaſcunque vocentur in artes,
Et (b) cæcæ frondes, adſit cultura, ſequuntur.
Quin etiam informes e ſylva divite germen
In truncos migrat. nomen ſibi Cornus adoptat
Dura novum, & mutat gentem. Nunc tempus agi rem,
Tempus, ait. ſylveſcentes quid inutilis annos
Exigis. (c) in gremium delabitur aurea cornu
Cum pleno Fortuna tuum. tibi proſpice. ſeri,
Ut ſibi nunc ſapias, orant, tua cura, nepotes.
Noſtin'? exploratores, & fama reportat
Certa fidem veſtræ Carolum (non ludimur) uti
Perfugio ſylvæ. Digito obſignata premuntur
Ora (d) ſalutari. Sentis? Humfrede, ſilebo.
Degener ille quis ora, quis artus occupat horror?
Prô Majeſtatis numen! locus eſt ſacer. (e) angues
Pinge duos. Tantin' ergo ſunt nomina? tanti?
Deme levem fucum, & tectoria parietis albi:

(a) *Mamma in ſurculis arborum dicitur illa exuberantia corticis, e qua proſiliunt rami.*

(b) *Sic appellantur a Plinio rami inutiles, qui ſine flore, & gemma apparent.*

(c) *Mille libræ Anglicanæ appromiſſæ prodituro.*

(d) *Qui pollici eſt proximus, & quo ſilentium indicere ſolemus. quaſi nihil ad ſalutem opportunius oris ſilentio. Alex. ab Alex.* (e) *De hoc Perſius.*

Tolle

Tolle modò e trutina fumos, & futile vulgus,
Crede mihi, par momentum Rex, Upilioque,
Carolus, atque Humfredus. At audit Juppiter, inquis,
Relligioque animum ſanctè movet. Eſt ea juris
Eſt alieni, & transfertur. dum fluctuat alnus,
Anchora quaſſatam religat. ſi frangitur, hæret
Alterius lateri. Quid ? habet fortuna vices, &
Verſuras natura ſuas. Quo ſtante licebat
Stare, cadente cades ? ſocium ſi fulminis ala
Devolet in caput, an geminum premet ira bidental ?
Occiderit Carolus. telone Humfredus eodem
Occiderit ? cœlo qui nunc nitet, aſpice ſolem.
Occidet. at non intereunt ſimul aſtra. minores
Nonne trahunt vitam ſolis de funere flammæ ?
Fata vocant. aude ſapere, atque accedere fatis.
Ille ſub hæc. Equidem ſapere, ac diteſcere vellem.
Siqua ſubeſt, quam commemoras, tam certa latebræ
Suſpicio, ſylvas (facilis labor, in manibus ſunt)
Duc age, qui tecum excutiant. An credere cuiquam eſt
Ignoto Regem ſe credere velle popello ?
Multus apud turbam nummi, non laudis egentem
Eſt pretio locus. At vanum ſi compererint me,
Pendere non ego, quæ minitant, extrema recuſem.
Reſponſum ſimplex. res credita. &, ære ſoluto,
Soſpitibus rediens aris ſoteria debet.
Interea ſol incaluit: conſurgimus. hora
Nos abitum monuit: diſcedimus. Inter eundum
De fortunæ habitu reliquo, varioque Pronœæ
Inceſſu multus ſermo. Pendrellia ſalve,
Ut rerum in cenſu tenuis, ſub fidere parco
Nata, tamen, quæ cenſentur probitatis in arca,
Dives opum, pubes. (a) Nec te memorande ſilebunt,
Huddelſtone, meæ, ſiqua eſt ea gloria, ſiquam
Ferre valent ævi partem mea carmina, Muſæ,

His ab hoſpite enarratis, conſurgunt e loco Poeta, & Hoſpes.

(a) *Aliqui alii, quorum ope in primo æſtu periculi Rex utebatur in fuga.*

Cui

Cui (a) BENE Dii DIXERE tui, ſublimius omni
Invidia nomen. Tuque intemerata Lanorum
Progenies; an tanta viget ſub pectore virtus
Fœmineo? viget. & tanti *Dux fœmina facti.*
At lethes te quæ teneant oblivia, tota
Permeſſi lympha dignum, Carloſe? Loquuntur
(b) E Quercu æterna memores tua facta Coronæ,
Et Sceptris tranſverſi Enſes. Tua prælia Patrem
Defenſum dederant olim, modò dextera Natum.
Dextera te Fidum memorat, te prælia Fortem.
Per vos ut Reges regnent? quæ tanta poteſtas
Vobiſcum cœlo communis? At Anglia ſceptro
Dum dominam admotura manum eſt, & veſtra Britan
(Vera loquar) ſceptris intexent nomina faſti.
Carole, quàm ſit amor Superûm cœleſtibus illud (
Tam tabulis altè inciſum, cœlique repoſtum
In curas nomen, tua quo fluat omnis ab aſtro
Vita, vides. Cœlo debes; & creditor idem eſt, (d)
Cui nos debemus. repetet ſibi debita, quàm te
Non alio ſponſore, Deus. Multeſima ſiqua
Pars ſupereſt, ſolvenda tibi multeſima pars eſt.

Salutato hoſpite, diſcedit Poeta.

Ædibus hìc notis ſucceſſimus, integer hoſpes,
Feſſus ego. affectas ubi vires menſa refecit,
Protinus, hoſpitii perfecto munere, ſolus,
Et pedes, ut ventum, abſceſſi. Mens libera vatum;
Liberior, cùm ſola. Nec indignatur Apollo,
Amphryſi memor ipſe, lyræque ad paſcua miſſæ,

(a) *Refertur ad familiæ ſacræ nomen, cui ſe addixit.*

(b) *Carloſi inſignia gentilitia, quibus illum Princeps decorabat in futuram rei memoriam.*

(c) *Terminantur hìc Inductiones memoratæ in Argumento hujus partis.*

(d) *Porrò circa Concluſionem hanc ortam e præmiſſa narratione, & ſcopum Inductionum præcedentium, remitterem denuo lectorem ad Argumentum, ſi memoriæ ejus diffiderem.*

Pegaſeu

Pegaſeos equites ſortem ſubiiſſe pedeſtrem.
Pergo pedes, pergo Muſa cum ſegrege ſolus.
Solis eſſe licet felicibus. unus eremum
Compenſat vacuam ſe plenus. in urbibus odi,
Quæ mihi me rapiunt. ſecurior incola ſylvæ
In pacis latebra ſecum ſedet, & ſibi prætor,
Et populus. petimus, quæ non ſumus: odimus iidem,
Quæ ſumus. Arabiæ in nobis pars optima floret.
Atque hic lætum animi, & greſſus per culta ferentem
Boſcobel excepit tandem: placidiſſima viſu
Boſcobel. At nemorum ſi non inviderat horum
Notitiam priſcis Helicon, hic nonne Napæa,
Et Dryas, & viridis ſedem poſuiſſet Oreas?
Hic porrò (a) zonam Chloris ſolviſſe, ſinumque
Viſa mihi. non immeritò cognomine bello
Boſcobel indigenis dictum nemus. Inde recentem
Pullulat in ſylvam ſoboles de caudice matris,
Virgulto major, juſta minor arbore, frondis
Perpetuæ ſuperante propagine. At altera, lævam
Quæ ſpectat, pars nobilior: cui nulla vigorem
Ætas inflexit, preſſitve bipennis adulti
Ruris honorem. altas incædua ſuſtinet umbras
Ulmus, & iliceum nemus, & quæ plurima ſylvam
Intonſo reliquam deſpectat vertice quercus.
In medio partes latè diſcriminat ambas
Gleba ferax herbæ: felixque uligine pingui
Admittit cœlum projecta in paſcua vallis.
Vallis apricanti non gratior ulla Menalcæ.
*Dic, quibus in terris inſcriptæ nomina Regum*
Naſcantur ſylvæ. Te dixero, Boſcobel, unam.
(b) Scilicet haud invita meo ſignabere voto,

Pergit idem inde ad Boſcobellanum nemus.

Repetitio Voci.

(a) *Quid ſit* zonam caſtam recingere, *dicet Ovidius: & quid hic* ſinum ſolvere.

(b) *Symmachus Ep. 28. l. 4.* Mallem, *inquit*, Aborigenum more dictionem ſalutis alternæ corticibus ſcribere. Ægyptus papyri volumina bibliothecis texuerit.

Boſcobel:

Boſcobel: innocuo tu vulnere teſtis amores
Experiere meos. Dixi. &, quæ proxima, fagus
Paſſa manum eſt: validæque impreſſu cuſpidis altè
Inciſum, VIVAT REX. cortice manat ab udo
Lachryma: mortalique dolet ſub lege teneri.
Sic adeo inſiſtentem operi, votoque vacantem
Diſcurſu placido nemoroſa per atria ludens
Duxit amor. tum ſe patiens ut vulneris arbos
Obtulerat, memoris geſſit veſtigia ferri.
Creſce Liber. creſcet Votum. ſuccreverit Ætas.
Progredior. (a) ſtetit ante oculos pulcherrima ſylva
Non longè ſoboles, uberrima penſilis umbræ,
Altera qua non commodior defendere feſſis
Aut gregibus ſiccam æſtatem, aut paſtoribus imbrem,
Celſa, ingens. propiùs viſam, indicioque recenti
Oblatam agnovi venerans, breviterque ſalutem,
Quam nobis dederat, retuli. Celeberrima ſalve
Gentis gloria Chaoniæ; ſi nomine facti
Tangeris, & famæ ſenſu, feciſſe juvabit
Et Carolo, & nobis, ſeriſque nepotibus umbram.
Sic tibi nec venturæ hyemes, nec flabra notorum
Inſultent: ſic, cùm ſylvis infeſta flagrantes
Dextra rubens cierit nimbos, capitiſque minores
Deciderint, faſtum telo plectente, ſorores,
Intactam te prætereat, lævuſque ſalutet
Juppiter, & frondes innoxia fulgura lambant.
Servaſti Civem. merita cingere corona.
Ipſa tibi texes: & te donabere totâ.
Sic effatus: & adverſa ter cuſpide ferrum
Admovi; ferro ter reſtitit. illa retuſi
Ne teli vitio fieret mora, cote recentes
Admota ſubjeci animos. nec ſecius arbos
Obſtinat, excluditque aciem. Vaga lumina circùm

(a) *In hac Quercu, res dudum nota, ut Princeps latuerit in fuga cum Carloſo ſuprà dicto, & ſuadentibus id ad tempus Pendrellis.*

Inde

Inde ubi ſollicitus ferrem, permitteret ictum
Sicubi ceſſurum chalybi, & mage ſciſſile robur,
Mens aliò ſenſim avecta: & juvenilior arſit
In ſedem ambitio, Princeps qua ſederat olim,
Affectare viam. accingor. potuiſſe videbar,
Et poteram. rami niſu luctantis in altum
Aſcenſus facilis. placita tum ſede receptus,
Multa putans, tacitique loci dulcedine captus,
Inſternor foliis, lentoque accline ſedili
Compono latus. Hic feſſis arrepere ſuetus,
Inſidians imprudenti commiſit utramque
Palpebram ſopor. An ſolis hæſere ſub (a) ulmis
Somnia? an eſſe putem ſylvis & Morphea quernum?
Quicquid id eſt, ſemper faciles ad ſomnia Muſæ.
Atque hic, ut ſenſim illabens in membra quietem
Altiùs infudit ſopor, improviſus ad aures
(Non hominem, Divam ſonuit vox reddita) ſeſe
Inſinuat ſonus. Hoſpitii ſacraria noſtri,
Quiſquis es, haud ingratus inis. colo, mitte vereri,
Quem colis, & ſemper cultura; ſed altiùs ictum
Inferri vetui, atque exemi crimine votum.
VIVAT REX? an vota minùs ſub pectore vivunt
Illa meo? dixit; gelidaque aſpergine roris
Elyſii mortalem oculis, & pectore nubem
Dimovet. Ecce loco lucis divinior aura
Diffundi, & radiorum ardor circumdare lucum
Viſus, at ante alias arbos hæc una refulſit
Splendidior, quantùm reliquos ſupereminet ignes
Heſperus, hunc quantùm ſupereminet aurea Phœbe,
Sidereo latè ramos cingebat amictu
Ætheris auricomi fulgor, ſylveſtris abibat
In concham balanus, foliorum flammeus oras
Ambibat ſummas auri nitor: aurea frondem

(a) Quam ſedem ſomnia vulgò
Vana tenere ferunt, &c. Æneid. 6. *De qua re Mythologi allegorica quædam.*

Per mediam intervalla, fibrarum argenteus ordo.
Fortè, ſolet qui ludibriis imponere ſomno,
Et modò luſit amor. foliis ſpectabile votum
Objicitur mediis, VIVAT REX. litera gemmam
Viſa mihi retuliſſe, ſmaragdum gemma virentem.
Lætabar pariter, pariterque expreſſa fugaci
(a) In folio vitæ humanæ turbabat imago.
VIVAT REX. cur in folio? durabilis arbos,
Et vivax in ſe ipſa quidem eſt, & ſecula vincit:
In folio brevis. Hic ſcenæ faſtigia viſu
Suſpiciens ut metibar, ſe frondibus offert
In ſummis oſtentum aliud: nota pulchrior auro,
Et gemma: (tamen in gemma quiddam inſtar, & auro
Ducta manu nota non alia, quàm quæ radioſo eſt)
Obtentu ſtellas, & Thaumate veſtiit Irim,
VIVAT REX. VIVIT. Suſpenſos gaudia ſenſus
Pertentat: & ſuſpenſo vox fertur ad aures.
Grata mihi in Carolum pietas tua. quæ nova mentem
In dubio teneat ſpecies, adverte, docebo.
VIVAT REX. (b) totidem numerans expleverat annos,
Regius huc cùm primùm olim concederet hoſpes.
Adjice VIVIT; (c) adeſt inſtans quæ vertitur ætas.
An, quantam VIVET, quæris? pars cætera nido
Implumis latet. huic prona ſuperincubat ala
Soli nota Proncea ſibi, ſibi pervia ſoli.
Dixit. At humentes Lethææ rore pruinæ
Attollens alas, porta diverſus eburna,
Aufertur ſenſim per limina cornea Somnus.
Deſcendo: ſupplex & ſanctum numen adoro.
Spiritus ergo (quis, incertum eſt) has ſpiritus umbras,

(a) Οἵπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. Hom. Iliad. 6.
(b) XVVI.
(c) XVVVVIII.
*Itaque ad illas voces*, VIVAT REX, *& poſtea* VIVIT, *adverte ad literas vocum numerales.*

Relligioque

Relligioque ingens habitat. nec ſola feretur
Vox nemorum, & Superûm interpres Dodonia quercus.
Abſcedo: relegoque viam feſtinus in Urbem,
Votorum auſpicio felix plenuſque meorum.

## PARS III.

*Proponuntur inſuper in hoc Vitæ Voto præcipuè tria, quæ ſpectantur in vita optabili, Jucundum, Utile, & Glorioſum; deinde Vita cœleſtis æterna. Repræſentantur hæc, & alia per Pyramidem, quam erigit Auctor Principi. Pro varietate ſtatuarum in Pyramide neceſſe erat varia inferri, ſeu ut illuſtrationes, ſeu ut propoſitiones mediorum ad ſingularum præſtitutos fines. Applicationes ut plurimùm referuntur ad Lectorem.*

VOta, pio Vatum nixu quæ mentis amicæ
Sollicitant uterum, niſi ſidere fota Tegæo
Attentent (a) operis lucem, peritura: breveſque
Exponunt ventis animas. Operoſa labori
Affert ſi Lucina manum, ſpectabile fœtus
Qua faciles in opus veniant, in ſecula mittunt
Et famam, & genus, & generi ſua nomina ſervant.
Votis, Muſa, laboranti ſuccurre Poetæ.
Mitis ades, tu votorum Lucina meorum.
Concepto quid agam voto gravis? annue. Cœlo
Educenda mihi Parnaſſo debita moles,
Calliopea, tuo. poteriſne, Orpheia mater,
Progenie non inferior, poteriſne Caryſto,
Sive Paro auritum cantu deducere marmor?
Spirantes etiam in ſtatuis effingere vultus
Ingenuo meditor cælo. poteriſne Myronem,
Sive Syracoſias arceſſere Manibus artes?

Proponitur Pyramis vitalis extruenda.

(a) *Votorum mente conceptorum eſt editio in lucem duplex: altera, quæ fit per expreſſionem linguæ, altera, quæ per operis alicujus molitionem.*

Sed neque (a) Leucadios ſtatuæ, nec marmora dentes
Effugiunt. cœlo inſertæ miracula famæ
In cineres deſederunt; Memphimque, Rhodonque
Exedit, Ninonque, Semiramioſque labores
Dura fames. An & Aonio queis ſurgere ſumptu
Muſa dedit, legem interitus ſua dixerit ætas?
Vivunt. Tarpeii Patris inviolabile ſaxum,
Numine fundatum tanto, labat: ipſa fefellit
(b) Pax æterna fidem. (c) Sed quam deſcripſerat olim,
Concluſam & nondum ſulco ſacraverat ædem
Auguſto Vates: traducta decempeda tantùm
Optarat ſedes, operas & Muſa redemptrix
E Cyrrha tantùm conduxerat: attamen ævo
Hæc operis ſpecies ſimplex, & linea prima
Tranſmittit memori nomen: mandonis avari
Ingluviem caſſam ridet, dentemque retuſum.
Ut deſit Maro, Cæſar ades. nec defore credam
Aonios, duce te, te Mecœnate, nepotes.

Erigitur Pyramis.

Surge age, quam meditor, moles. At, vindice cœlo,
Linguæ nulla meæ Babel obſtrepat. (d) æmulus aſtris
Hic apicem non attollit labor: arduus ævi
In fines vani jaciat qui nominis umbram.
(e) Quà geminæ medius commercia dividit aulæ

(a) *A loco, ubi Chronus præcipuè colebatur, Natos, Urbes, & Monumenta propoſita mandens.*

(b) *Pacis templum æternum Romæ.*

(c) *Georgicon 3 initio; ubi templum Honoris & Æternitatis deſignat Auguſto Virgilius.*
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, *&c.*

(d) *Inſtar illorum, qui turrim molichantur*, cujus culmen pertingeret ad cœlum, celebraturi nomen, antequam, *&c. Gen.* 11.

(e) *Locus, qui eligitur ad Pyramidem erigendam, eſt in campo, quem appellamus* St. James's Park, *properivum recèns è Thamiſi inductum.*

Proxima

Proxima Jacobæus ager, Cynthoque Diana
Posthabito pharetram in ſacras exercuit olim
Sæpe feras, fratremque adytis frondentibus arcent
Intonſæ, cyparíſſus & ulmus & æſchylus, umbræ,
Hic, ubi liberior campus, quàque extima, ripæ
Accubitus inter virides, ſecat æquora rivus,
Subductus Thamiſi rivus, furtumque ſilenti
Diſſimulat paſſu Nais pede lanea molli,
Hic operi legiſſe locum placet. Ardua ſurgit
Pyramis Aoniæ rupis de marmore, Vitæ,
Carole, ſacra tuæ. Faſtigia ſuſpicis? an te
Terruit extenuatus apex, operiſque figura
Creſcendo minor? Alta viri molimur: in arces
Tendimus æthereas, & vi, quò tendimus, itur.
Fit cuneo via. Terreſtris fundamina glebæ
Quàm ſurgunt magis, in gracilem terreſtria conum
Tam ſunt extenuanda magis. Sunt ſemina nobis
Ignea; contracta ſurgunt in cuſpide flammæ.
Fundat opus baſis ampla; baſim tetragonus in æqua — Baſis, ejuſque ſubex inferior.
Suſtinet intervalla ſubex. hunc arte figurat
In tortus varia, Phrygioque toreumate Mentor.
Multa baſim cælo ſculptura, piloque Tymanthes
Dædaleo inſignit multus. Molimina Vitæ — In baſi Effigies repræſentantes Vitam vegetativam, ſenſitivam, et rationalem.
Prima vides, ortuſque rudes. Hinc inſitus auget
Molli accremento plantam vigor; Inſtruit artus
Hinc ſenſu vis mobilior: per inane volucrem,
Et ſola quadrupedem per ſicca, per humida piſcem.
Inde tibi vitæ ſublimior impetus, auræ
Halitus æthereæ ſubtilis. At, incola terræ
Hic habet? E terra duxit genus, at cui cœlo
Libatam, & dio luſtratam ſidere mentem,
Particulamque ſui ſparſit Deus. Omnis in uno
Vivit, in hoc omnis vas fictile cogitur orbis.
Eſſe hominem ſolum nec oportuit. Ecce maritæ
Sub lucem prodit conjux & filia coſtæ,
Viventum genitrix. Ad coſtam ponere ſedem
Fertur amor. coſtæ ſervent communis amorem.

Genxiles

Gentiles exinde feras agnoveris? auro
Illitus (averſi vultus, obverſaque terga)
Quà coiit junctura, pares procumbit ad oras
Tergeminus Leo. tum ſaltu vicina Chivæo
Submittit quartum (a) Calydonia. Diſcolor ori
Forma: tori turgent per colla comantia rubri.
Temperat hos Lyra rugitus: Venerique Britannæ
Addit ſe ſociam e Celtis Junonia Flora.
Atque hìc, ut gemuere feræ ſub pondere vaſto,
Cernis? eas ſuper extremas, paribuſque laborem
Sortitas ſpatiis (b) onus incubat. Area (c) frontes
Diducit quadruplex. Spatio interciditur æquo
Nativis habili ſtatuis in marmore ſedes.
Prominet in ſtatuas amplè ſinus. Ambitus imas
Laxior in partes abit; inde coacta ſupremos
Jam minor uſquè minor faſtigiat area fines.
At modò per claſſes aptas quæ Pyramis ora
Exhibeat, libet expediam? ambitioſior hæſit
Hic labor: hæc ſtudioſè operis meditata venuſtas.
* Primus Avos, Atavoſque tuos, famæque vetuſtæ
Digeſtam in faſtos ſeriem tibi ſuggerit ordo.
Spirat adhuc vis exempli, memoremque nepotem
Virtutem in veterem ſtimulant, animoſque paternos
Marmoreæ voces. Hic bello clarus: uterque
Imparibus ſtudiis Hunc pulvis, & utraque Pallas
Nobilitat: leges Hic excolit: Ille miniſtras
Addicit curas aris, aræque fideles

Supra baſim, ad quatuor angulos, Leones quatuor, (tres ex Anglia, & quartus e Scotia, Angliæ regum inſignia) ſuſtentantes Pyramidem, quibus adjunguntur Lyra Hybernica, Lilia Gallicana, Roſa Eboracenſis, & Lancaſtrenſis.

* Statuarum in Pyramide ORDO primus. Statuæ variæ Avorum.

Quatuor ſcilicet in circuitu. Et ſic de cæteris ordinibus ſtatuarum ſequentium ad apicem versus.

(a) *Hoc ferè, inquiunt Auctores, (ſemper itaque non puto) obſervant Poetæ, ut, cùm Ætoliæ ſylvam declarare velint, ſecundam ſyllabam per y Græcum ſcribant, eandemque corripiant. contrà, ad diſtinctionem, cùm Scotiæ ſylvam, ſeu Scotiam ipſam ſunt declaraturi, ſecundam ſyllabam per e ſcribant, eandemque producant.*

(b) *Pyramis ipſa.*

(c) *Angulos Pyramidis.*

Ereptum

Ereptum fama terris ad ſidera tollunt.
Hos imitando tutum eſt ſuperare, præire ſequendo.
O te pacis amantem! oras ut fama tulit te* ORDO ſecundus.
Advectum noſtras, geminamque in mutua gentem
Fœdera veniſſe, & ſocios coiiſſe Penates,
Quàm poliit vultus, & fronte jocoſus utraque * Statua Jacobi.
Riſit, & ipſe humeris obnixus cardine torſit
Converſo, validoque emuniit obice limen
Cluſius armigerum Pater! O qua parte latebas
Elyſii, qua (a) lotorum, Jacobe, ſub umbra
Sternebare, tuam nuper cùm bellica Mænas
Debacchata per Angliam, & auſa recludere portas
Captivi nodos Belli divelleret: omnis
Et belli telum exacuens ſæviret Erinnys?
Accedit Nato Genitrix. at gratia formæ Statua Mariæ Stuartæ.
Diſpar. Quid tacito mœſtus defigeris ore?
Corde latens vultu citò proditur indice vulnus.
Seſe offert oculis, Charitum ſata ſanguine Virgo,
Heroina tuis; ſanguis maturus Olympo:
Te quàm digna nepote! Genus ſi credere fas eſt
E jactu lapidis rediiſſe ſub æthera noſtrum,
Dextram Caucaſeis quis non e cautibus illam,
Marpeſove putet natam, qua lactea cervix
Concidit? ah, duro violatum vulnere, (b) qualem
Progenuit nobis olim tua Gallia, (c) qualem
Submiſit nuper Chloris Tarteſſia, florem!
(d) At canos inter nam quis nitet ille juventæ Statua Henrici Principis Walliæ.
Purpureo cum crine vigor? cui ſerior ætas
Debita. Quid meruere, tuos ut ſemper iniquo

(a) *Lotus arbor, cujus fructus oblivionem patriæ dicuntur inducere.*
(b) *Reginam matrem.*
(c) *Catharinam reginam.*
(d) *Petis, cur poſuerim hunc Avunculum, cùm avunculi non ſint in linea recta Vitæ. Rationem erues e doctrina de Individuatione.*

Carperet

Statua Caroli primi.

Carperet (a) Henricos fato Proſerpina præceps?
Eſt, aſtto Genius qui præſidet, albus, & ater.
Muſa, Myron erat tuus. opportunior hora,
Et locus hæc alius. Vitalis gaudia Voti
Polluere ingrato luctu, exequiiſque decebat?
Et lachrymæ redeunt veteres, & pectora turbat
(b) Fothringamia deterior. Fatale ſecuri
Hoc unum debebatur caput, illa ſub auras
Perfidiæ trucis ut tandem prodiret ab antro
(c) Bellua multorum capitum. (d) Manus impia famæ
Notitiam latet. & lateat. cum ſanguine noxæ
Circumfert labem imbibitam. ſe novit. abunde eſt.
Tempore ter quinas ex illo Semivir arcu
Armavit brumas, totidem ſub Virgine meſſes
Decubuere: oculis & adhuc feralis oberrat
Scena meis. atri obtentus: Chalybumque, ſuoque
Induti ferro vultus: effuſa per ædes,
Per vicoſque ætas oculis humentibus omnis
Spectandi ſtudio, at crimen (prô lacryma ſera eſt)
Pars heu quanta ſuum! ſubſellia triſtia dirus
Horror habet, mutoque ſilentia murmure terrent.
Ipſe (e) dies ſociat mœrorem. it nubibus ater,
Et ſine ſole dies. Poteras & retro jugales,
Sol, torſiſſe. Thyeſtea res altera venit
Digna via. Quin attonitas & vidimus ipſi
Cromwello immaduiſſe genas. Portenta timebam.
Eſt in prodigiis aliquid, cùm marmora ſudant.
Aſt ubi, quove ſub axe ſumus? (f) Quæ limina Diræ

(a) *Avum, Avunculum, Fratrem: Henricos.*

(b) *Nova ſcilicet Fothringamia per alluſionem: ſed priore illâ, Mariæ Stuartæ, ſic dictâ, deterior.*

(c) *Cùm Monarchia devolveretur in Democratiam.*

(d) *Cujus demum carnificis manu facinus peractum, etiamnum latet.*

(e) *Erat enim dies maximè obſcurus.*

(f) *Locus eſt etiam circumſtantia memorabilis.*

Candida

Candida funeſtant? Populis hic optimus olim
Jura dabat Pater: hinc gentes reſponſa petebant:
Libratumque oris nutu ſeu Pacis amicæ,
Seu Belli pendebat opus. Solennibus idem
Hic ludis locus, hic epulis: Genioque jubente,
Præbebant epulare loco Convivia nomen:
Sævitia ridente. Locum legiſſe Tragœda
Non alium feritas optabat. Et ecce theatrum
Ingreditur fatale. Sile dolor. At tua ceſſant
Fulmina, nomen inane, Tonans? hic alta Ceraunia,
Hic ſit Athos tuus, hic Rhodope. Sed vindice telum
In dextra Nati poſitum eſt. an fulminet Æther,
An Natus, nihil intererit, modò fulminet. Aſt hunc
Dii mitem, ſimilemque ſibi finxere Tonantem.
Viciſti, Fera, viciſti. tibi contigit uni
Barbariem viciſſe omnem. Vacat aula: vacantem
Ingredere. exceſſere adytis, te mancipe rerum,
*Dii, quibus imperium hoc ſteterat.* ſed limina ſævus
Interea, poſteſque nigros circumſidet horror.
Ille tuo ad ſpondam ſomno comes accubat, inflat
Ille tubas, menſæ ille tuæ convivia condit.
Ingrederis. Pietas exit: nec ſanguine fœdos
Reſpectura Lares, vivo ſe flumine donec,
Et ſcelus abluerint. Exit, fractamque bilancem
Juſtitia oſtendit cœlo. Themis exit, & atro
Pulvere canitiem turpans averſa (a) cruentam
Se ſimul, & Ianas exhortet cæde rubentes.
Ite Deæ. tellus vobis, ſoleſque petendi
Sunt alii. hoſpitium Natus præbebit: at exul
Ipſe. redux vos reſtituet. nunc cædimus agnam
Exiles. (b) at nobilior quatit hoſtia funem.
Infandum ſcelus! aſt ætas quod nulla tacebit.
Regibus uſqueadeo texunt non byſſina ſemper
Penſa Deæ. at capiti interea (ſic currite fuſi

(a) *Facinore ſcilicet peracto forma judiciali.*
(b) *Parricidæ poſt plectendi.*

Ultores) restim nent & nevere nocenti.
Postico nec tale videt, nec tale videbit
Antico Janus vultu scelus. (a) ora biformis,
Ut vidit, simul occuluit, cessitque. sequuntur
Februa; sed factum purgent quæ februa nunquam.
Si quod habet scelus huic geminum scelerata vetustas,
Tullia, habes; (b) VICOque parem dabit Anglia fa-
Tullia, te Tullus, te Carolus, Anglia, damnat. (mam.
Diri pergit in amplexus ruitura Tyranni
Utraque per Regis miseri caput, utraque Patris.
At tu regali (c) Collis dignate sepulchro
Insere te sublimem astris. æquabat Atlanti,
Sidereos axes qui vertice sustinet, (d) arces
Dudum fama tuas. necdum tamen inter avorum
Sidera Winsorio stetit hoc in vertice pondus.
Vive precor, laudis patriæ cognominis hæres,
Non fati. Exhausit factis, & nomine famam
Primus. at invidisse negat majora Secundo.
Carole, vive. remitte colum, & sua licia Parcis.
Pensa sibi, sumumque habeant, calathumque puellæ.
Fati opifex est quisque sui. vel ferrea vitæ
Fila suæ proprio net quisque, vel aurea fuso.
* Quæ texant auro Vitam, tria sunto: Voluptas,
Utilitas, atque Heroum suavissima merces
Gloria. Nimirum tria sunt hæc omnia: & uni
Sancivere tibi nostræ, sua Vota, Camœnæ.
* Prima Voluptati statio. Qua tantus in artus
A lima nitor? An Veneres hanc omnibus unam
Surripuisse omnes? oculis festivus inerrat
Risus, inoffensusque lepos, & multa juventus.
Blandimenta, quibus, fateor, sopita subinde

* Sequuntur statuæ, repræsentantes tres dotes vitæ optabilis, Voluptatem, Utilitatem, & Gloriam.

ORDO Tertius. * Statua Voluptatis. *Comites, Sanitas corporis, Sanitas mentis, Pietas.*

(a) *Facinus atrox actum penultimo Januarii.*
(b) Scelerato: *sic dicto Romæ ob Tulliæ facinus.*
(c) *Sepultus in arce jugi Winsorii.*
(d) *Ob Nobilitatis Anglicanæ scilicet tot sidera, quæ ibi sepulta requiescunt.*

Connivet

Connivet virtus, & honesti a tramite flectit.
Arrisit? Substricta tamen sunt gaudia. Frontem
Tænia crinalis, Zonamque, & (a) carbasa lina
Virgineus subnectit onyx. Quæ vincula Morum
Excutit, ingeniique sui est, & laxa Voluptas,
Extra sese abiens abit ipsa. sequuntur amari
Tortores (b) illam a tergo. sua crimine læto
Syntereseis abest nusquam comes. heu quibus illa
Verberibus proprios gestantem in pectore fasces,
Seque timentem agitat pernox, & perdia mentem!
Frustra terque quaterque foris mihi ritè salutem
Plausit matutinus olor, si psaltria noctis
Intus triste melos, Libitinamque occinat ales.
Expandunt frontem totam proba gaudia. fletu
Insontum risus nullo madet. illa Voluptas
Illimis, nullosque trahit sincera dolores,
Quæ vitæ semper fluit integra. candidus æther,
Suda nitet Syntereseis, cui nulla lacunam
Colluvio, nebulam exhalat pars infima nullam.
Quas lateri accierit comites Dea, cernis? utrinque
Assistunt: Hygiea duplex. socialibus ambæ
Ingeniis; hæc Corporibus missura salutem,
Mentibus illa. Voluptatis suffragia campo
Humanæ siquo fierent, addiceret ales
Centuriis, Hygiea, tuis, & puncta referret
Prima tribu ex omni *Mens sana in corpore sano.*

Statuæ duplicis Sanitatis.

At te, fatorum domitrix, quæ sidera læva
Imperio frænas, cui parent frigus, & ardor,
Et gens humorum pugnax, & Pæonis artes,
Corporeæ præses pacis, Regina, bonique
Fundamentum ingens nostri, ut te luximus ægri
Absentem, aversamque diu! Viduata colonis

Statua Sanitatis corporis.

(a) *Dictio Propertiana de vestibus pretiosis e lino, seu serico. l. 4. Epist. Arethæ.*

(b) *Hinc duæ illæ Divæ apud Romanos Angeronia & Volupia: & simulacrum illius in hujus ara positum.*

Arva, domos dominis vacuas, & civibus urbes
Vidimus. Ipse tuas, cùm renibus acer adesis
Incubuit languor, nil proficientibus aras
Quàm sæpe incendi votis, & thura paravi
In fumum & ventos abitura? Sed hoc super (esto)
Nil moveor. Sine te tamen ut solatia frigent
Cætera, queis misero satis est dare verba dolori!
Nam quid opes ægræ prosunt? quid dulcia mensæ
Munera Tantaleæ, contingere Morbus Erinnys
Quam prohibet? quid febrili speciosus in ostro,
Splendidiusque dolere sciens sopor? Integer Irus,
Dic age, dic sodes, Cræso quotus invidet ægro?
Nil tamen ista moror. de me tu videris. æquæ
Causa querelæ alia est. manet altera cura. Satelles
Umbrarum Morbus (a) Regum, te præside, fines
Obsidet? At, cujus vita sua vivit, & haurit
Anglia prædulces auras, huic te, Dea, saltem
Impende. Et neque te teneant oblivia gentis
Interea, quam fatorum sub jura per ignes,
Per strages belli, & pestes Proserpina dudum
Compulit. Ignovit furto Latonia proles,
Et pœnas dedimus. sat Caucasus ultor, & ales
Sæviit. Astrorum, per me licet, ignea lampas
Indemnis micet, & furti secura futuri.

Statua Sanitatis mentis.

Altera sed quam te memorem soror? Utraque partu
Edita jucundo. sed candidiore parentes
Te vultu (b) risere. Boni si provida primi,

(a) *Refertur ad morbos, qui aulam invaserunt sub Principis in Angliam reditum.*

(b) *Sic Plautus Capt. sc.* 1. Quasi muti silent, neque me rident, *id est, ut aiunt interpretes,* neque risu accipiunt facetè dicta a me, vel non mihi arridents. *Cæterùm loco* Te *poni poterit alia constructio*, Ore tibi risere, *ut Virgil. Eccloq.* 4. cui non risere parentes, *& hoc in eodem sensu, ut interpretes ibidem. De ratione autem hujusmodi risus videri poterunt iidem.*

Nec

Nec mens læva fuiſſet, adhuc & ſana fuiſſet,
Ex quo natalis puduit me pulveris: ex quo
Delicium ambitioſa fames fatale momordit,
Amiſi te; quamque Parens mihi vellere nevit
Virgineo poſita jam cyclade, protinus omnem
Ad morbum patui infelix, & fidus ad omne.
Defluere ex illo virtus, animique caduci
Vis ſenſim ſublapſa fatiſcere. viſcera mali
Computreſcentis ſubſedit ad intima tabes.
Innumeræ ſubeunt peſtes, & totius inſtat
Naturæ Phthiſis; Invidiæ furtiva teredo,
Languorum pituita, Libidine fervida venas
Depaſcens febris, & toto Phlegethonte vaporans.
Cernis, ut hunc nimium uſquè ſui, ſeſeque laborantem
Inflat hydrops immanè, cutemque, ſinuſque tumentes
Proluvies diſtendit aquoſa? ſitivit; & amnem
Hauſit Hidaſpeum, & toto ſe proluit Hermo;
Necdum exempta ſitis. ſitis ignea gliſcit ab undis,
Seque explens irritat inexaturabilis hydrops.
Hæret huic in viſceribus damnoſa Celæno,
Ingluvies. patriæ mulcent Stymphalida cœnæ
Nequicquam. ecce Getas ultra, Nomadeſque metuntur
Rura: petendus Itys de Phaſide, fercula ſæva,
E Rhodope Palamedis avis, de rupe Sabella
Marſus aper, ſcarus e Sicano gurgite, fluctu
Eruta Lucrino conchylia. Nota Falerni,
Bacche, ſaliva tui nulli mage. (a) Tmolus, & ipſe
Gutturis æternùm ſidit per cola Phanæus,
Nec ſatiant tamen. Olla gravis, nidorque culinæ,
Luxurians abdomen, aqualiculique ſagina
In votis primum eſt. putris ſepelivit omaſi
In barathro fœtentem animam. Quàm turgidus illi
Aërea viden' ut tumuit farragine pulmo?
Faſtidit terras, & ſola veſcitur aura:

*Amiſſa illo per inobedientiam.*

*Succedunt innumerabiles morbi: Invidia, &c.*

*Avaritia.*

*Gula.*

*Inanis gloria.*

(a) *Tmolus mons Lydiæ, Phanæus promontorium Chii inſulæ, ubi pretioſiſſimæ vites.* Georg. 2.

Heluo

Heluo ventorum, & multo repletus inani.
*Desidiæ Paralysis.* Ille quis? ut venam tentem? quàm funere vivo
Illusit Morti! vires, animique, soluta
Nervorum compage, fluunt, præcordia languor
Obsidet, & cæli spargens oblivia somnus.
Ales Ephebus adest. amnem ciet ales ephebus.
Vitales an erit (*a*) miserum qui mittat in undas?
Causa mali, e terræ cœno qui nascitur, humor
Concrescens, & lenta lues. (*b*) At tabida pestis
Si caput insideat, reliquæ mens unde, fidesque
(Illa fides, Agapes genitrix & alumna pudicæ)
Defluit in partes animæ, nec (*c*) spiritus æger
Obsessum eluctetur iter, subit atra veterni
Tabes, & mentem sternens Apoplexia totam.
Triste malum, & fatale; malum, quo tetrius ullum
Non afflant animi fibris Hecateides herbæ.
*Passiones animi.* Hospitium morborum ingens sumus. Altera nec te
Pars tanget minùs. Hinc brumis febrilibus alget
Exanguis Pavor: inde Spei per certa remittit
Spiramenta quidem dolor; at mala sæpe medelis
Ægrescunt, mensque angorem delusa resorbet.
Parte alia, viden', illi oculis ut subjicit ignem
Irarum fervor? tristes ut colligit illi
E bili furias atra jecur? Inde Cupido,
Et Dolor, & mentis mala Gaudia. Phantasus illis
Se comitem jungit, curis propioribus æger,
Tormenti ipse sui faber, ignotosque volutans
Terrores animo, larvis obsceptus & umbris,
Irrequies. Media e Stoa venere magistri
*Stoici promittunt medelam; sed vanam.* Cecropidæ, occultum cecinit cui noctua carmen
Ipsa, tuæ, Zeno, fuligine tincta lucernæ,
Mnesarchus, nec non Chrysippus, & oris Ariston

(a) *Joan. 5. ex sent. Amb. & Chrys. ibi de Paralytico.*
(b) *Qui sciens hujus morbi est, intelligit analogiam hanc paralysis spiritualis ad corporalem.*
(c) *Analogus ad spiritum animalem.*

Impexi

Impexi, & curto doctè qui fœtet in antro
Actæus, Stoæ Cynicæ latrator, Anubis.
Hi tibi morborum ſpondent elementa, malique
Surgentis cauſas eradere : peſtis & auſint
Stirpem omnem valido ſophiæ convellere niſu,
Quippe lacertoſi medici. Si ſeveris alto
Frugem corde Cleantheam, ſi noveris ori,
Et mento induxiſſe caprum, cum poplite curas
Doliolum ſi tu compegeris in breve : cepam
Rancida ſi virtus oleat, vappamque decennem,
Sanus es ; albentes Hygieæ ſanus ad aras
Intercide comam, voti damnatus ad aras
Spem cum crine, metumque, ſacrumque appende dolo-
Iramque; omnigenis ſapiens dominaberis aſtris, (rem,
Saturnoque, & Acidaliæ cum Marte puellæ.
Nec metuis, nec amas, nec aves. riget horrida virtus :
Et ſaxo invideat vivo Sipyleia rupes.
Stultitiæ rides barbata crepundia torvæ,
Et ſiliquas cerebro caſſas. Si faſcia nugis
Demitur, & quæ docta genis inducitur umbra,
Si natura peridromidem ſecluſa reviſit,
Et metuunt, & amant, & avent : reliquoſque prophano
Ad latus Elyſii patiuntur cum grege manes :
Excepto, quòd non ringuntur, & improba nunquam
Ira coquit bilem, niſi cùm jus verna ligurit.
Gens heu quiſque ſumus devoti ſanguinis. unâ
Ex Horti malo communis culpa pependit.
Hinc labem longè trahimus, de ſtirpe parentis
Morboſi : fluxitque parens in fata nepotum.
Quiſquis erit, minimis qui carpitur, optimus eſto.
At comiti flexo leviter viden' ore Voluptas
Tertiæ ut a tergo dextram ſupporrigat ? illi, Statua Pietatis.
Si neſcis, Pietas nomen : Diis edita Nympha,
Edita Diis, genitura Deos. averſa reſiſtit
Ponè verecundo vultu : terreſtribus olim
Miſſa choris, abituſque reos exoſa Penates.
Sentes ſiqua tamen noſtros ſubnaſcitur inter
Lætitiæ

Lætitiæ pars, e dono venit illius omnis
Quantuscunque boni merges. Maris illa fragosi
In gremio placidæ sternit cunabula pacis
Halcyonæ, Mens alma, tuæ. salis inter, & æstus
Mundani cumulos genitali munere Concham
Illa subit: niveoque tumet mens gemmea fœtu.
Sunt homini partes geminæ; sublimior illa,
Quæ gentem trahit e cœlo, & natalibus astris
Deducit nomen. parti sua cuique voluptas:
Nobilior, cui naturæ prosapia primas
Nobilior dedit. In modico dedit esse beatam
Terrenæ parti prudens Physis. In cute rerum,
Extremoque hebetes hærent in cortice sensus.
His quod olet, sapit, & nitet, & quod molle, sonansque et
In curis totum. Rota quicquid Cynthia lustrat,
Terra omnis, rerum semotus & infimus ordo,
Mobile, transultansque bonum; mutatur, & errans
Incerti laris aligeros ad Temporis axes
Lunam aurigantem sequitur: Dominæque nec oris
Degener. Esse simul totum nequit: excidiisque
Vivitur. utque abolet vocis vestigia primæ
Vox subiens, se sic mutilant bona, seque sequendo
Se sibi surripiunt. Sic se premit hora, suique
Hora fugam vivens, & vivens hora rapinam.
In se quæ peccant, eadem se secula plectunt.
Sic mihi, quale bonum cunque est, spem semper hianter
Eludit, primoque animam in libamine ponit.
Sed neque sincerum quicquam est. sparguntur amaro
Dulcia, Cecropio Colchos miscetur Hymetto,
Testantur patriam Veneres, & gaudia plorant.
Quæro bonum, sed quod certo libramine constet.
Quæro bonum, sed non inhonesto in fragmine truncum
Quæro bonum, sed cui vitient mala nulla saporem.
Quæro bonum, bonus unde fiem, meliorque fruendo.
Quæro; nec invenio. nec præbet terra, nec æther.
Solus at hoc ait esse bonum Deus: & sibi constans,
Et totum simul, & vitii cui nullus amaror.

In

In ſolis face quod candet, quod lucet in aſtris,
Quod ſmaragdi viret in radio, quod flavet in auro,
In campi quod fruge ſapit, quod fragrat in horto,
Quod ſonat in cantu, miror. miracula fudit
Hæc in naturam Deus; & ſibi plura reſervat.
Te ſed amans quid amo, Deus? aſpectabile formæ
Donum non amo corporeæ, non fruge ſaporem
Manantem, nec odorem herba, ſuccove recenti
Progenitum: non vocem, aures qua barbita mulcent,
Non amplexum, habilem membris quem brachia miſcent,
Non jubaris ſoliti lucem. non hæc amo, cùm te
Dicor amare. tamen ſpeciem, pulchrique figuram
Quandam lætus amo, quendamque ſaporem, & odorem,
Vocemque, amplexumque, & quandam lucis amicæ
Interiorem auram. Lucem, cui nubila nulla
Officiunt; Amplexum, acies quem nulla reſolvit
Fatiferæ falcis; Vocem, cui diſſona vulgi
Scylla, forique fremor non obſtrepit ullus; Odorem,
Nulla relanguentem quem diſſipat aura; Saporem,
Quem tædi carpunt faſtidia nulla; Figuram,
Cui nec ruga ſiniſtra, nec invida detrahit ætas.
Hinc gaudi ſeges omnifero tumet ubere noſtri.
Herciſcenda tibi, Pietas, cum Principe gazæ
Eſt hæc ſumma tuæ; *Deus*: Omnia in omnibus unus.

ORDO quartus. Statua Utilitatis. *Comites, Opulentia, Clementia, Pax.*

Tolle oculos. Ordo tibi, Carole, ſurgit, & artis
Hic Polycleteæ labor alter. Et ecce ſecundum
Viſcere deceptus nullo canit omen haruſpex.
Tolle oculos. & quos oculos non illice forma,
Illicio cantus quas non attraxerit aures
Utilitas, pelagi & terræ gratiſſima Siren?
* Aſſiſtit fidens animis Opulentia: vultu
Illa quidem ad pompam facto, cui litore Memnon
Eoo, Heſperio famulantur Atlantides undæ,
Tincta togam ardentem Sarranis imbribus, artes
Et Phrygias induta ſinu, ſtellataque frontem,
Et collum, & conum criniti verticis aureum
Ignibus undique Mygdoniis: at pectore volvens

* Statua Opulentiæ.

Implacido curarum æstus, & prælia cæca.
Magnificum illa malum, miserèque beata, malorum
Ingens irritamentum. Peperisse Typhœa
Dicitur, & Famam, & Noctem, Titania conjux,
Terra parens; sed non alio mage noxia partu,
Quàm cùm progeniem, quæ dicitur aurea, luci
Ostendere sinus. Ubi orant, Berecynthia Tellus,
Cymbala, tinnitusque tui, cùm fontibus illa
Cumque illa scelus omnigenum vagiret ab antris?
Aurea, sed dotem e ferro sortita, propago.
Concepisse piget serò. tua viscera norunt,
Senseris, Agrippina prior, quos inde Nerones.
Hanc propter tenebras, noctisque cubilia cæci
Ingredimur. sanguis prisco nec ab Hercule noster,
Pirithoo nec avo repetit genus: & tamen atræ
Claustra libet Dominæ perfringere, Ditis & ipsas
Aggredimur ferro portas. Hanc propter eandem,
Invitos avido rumpente cupidine funes,
Ignotum rostris ruimus mare, carbasa ventis,
Et vitam damus; Erigonen confundimus Arcto,
Cum nocte Auroram committimus: & fidem, & aras,
Pignoraque, & patriam, & thalamos divendimus. heu
Terra premit, vada quas volvunt Neptunia cædes! (quas
Bellax lingua, quid in Nympham certamine tanto?
Quò præceps ardor? cane lingua receptui, & arcus
E nervo meritura volent in vulnera tela.
Cornua si (a) regnante rosa gerit æmula pauper,
An petat idcirco Bromium (b) caper? arma Lycurgus
Arma cado intentet, quia naufraga sæpe popina
In cella natat? expungi volo cærite cera
Et vites, & divitias. plectenda libido.
Cuique suus color est, flos, & cerussa figuræ.
Deme. quis extemplo non sorduit? an tibi solæ

(a) *Notum arbitror quid Rosis sit cum Vino.*
Cùm regnat rosa, & furit Lyæus. Horat.
(b) *Vitibus caper infestissimus.*

Nimirùm

Nimirum veniunt ad candida tecta columbæ ?
Et veniunt aquilæ. cavea conſiſtet in ima,
(a) Tinnierint niſi quid trabeæ, cum conſule Cæſar.
Arma meus tractat Cæſar ? bellone ſalus eſt ?
Imbellem mitto nervi ſine robore Martem.
Cogendus campo miles ? ſere bella crumenæ
Semine. proventu melior caput exeret arvis
Cadmeo ſeges. An clauſi maris arbiter undis
Imperites ? ſibi te generum Nereïa Doris
Fluctibus & ventis emat omnibus ? aureus eſto.
Phryxeo turpis fluitat ſine vellere Tiphys.
Quin ipſæ, nudam Themidem ſi Prætor inermis
Exponit, nec egena fovet ſubſellia Quæſtor,
Indecores vieto Leges in codice muſſant.
Eſt rerum domina, & nulli ſubdenda poteſtas
Regia. ſubdendam nulli tamen in ſua cogit
Jura Themis. Sunt huic Alto ſua litora, Leges.
Huc veniet, franget fluctus hic illa tumentes.
Non te Jura timent. Leges, & (b) legibus idem
Ipſe times. æquæ ditant Quæſtoria leges,
Et leges æquas armant Quæſtoria. Tondet
Paſtor, non deglubit oves. alvearia cenſet,
Non expilat Ariſtæus. non pallet in arca,
Harpyiaſve timet ſecreta pecunia, vultu,
Carole, conſignata tuo. nec perſonat urbem
Præco, nec ex haſta plebis ſuſpiria pendent.
Arcam in regalem refluo cum fœnore gazæ
Decurrunt, ut in Oceanum qui refluit amnis.
Artibus his, hoc tu quæſtu diteſce. volentes
Sic Apis atque Ovis, illa favos, hæc vellera, reddent.
Et viden' ? ecce pari ſpatio veſtigia figit, Statua Clementiæ.
Marmoreo cultu, ſed neſcia marmoris ipſa,

(a) Expecto, ecquid Dolabella tinniat. *Cic. ad Att. id eſt*, an afferat numos.

(b) *Diſcrimen inter Regem & Tyrannum hoc eſt, quòd hunc timeant leges, ille legibus timeat, inquit Mar.*

Cerea lenteſcente ſinu, & molliſſima fandi,
Seque illi ſociam jungit Clementia. Faſces
Ablegat, frameaſque, rotaſque, minaſque bipennes;
Et rugam tetricæ frontis. Titana laceſſat
Impavidus, cœlo tenſos & naviget imbres,
Regnaque fulminum, & altiſoni Jovis atria luſtret
Alituum Cæſar, Jovis armiger Ales, & idem
Cœli, nimborumque potens. E Chaone Divæ
Advolat alma Columba tuæ, bona nuncia pacis
Mundo emergenti, paciſque ſequeſtra columba:
Et ſerto comptam niveo prætendit olivam,
Non roſtro, non ungue minax, Cythereius ales.
Sit Phalaris vultu ſævo, linguæque ferocis
In truculenta acie mortem gerat. at tibi multus
Spiret ab ore Parens, & frontem fingat uterque:
Innocuæ Majeſtatis vitale ſerenum.
Sint Jovis ad ſolium accinctæ fatoque metuque
Apparitrices (a) Diræ. ſit janitor aulæ
Fraternæ Canis, exangueſque exterreat umbras
Latratu fera tergemino. tua limina ſervent
Excubiæ, Rex, Euphroſynes quæ limina ſervant.
Nonne vides, ut ſanguineo confinia turbat
Sidera crine Cometa, & formidabilis atro
Syrmate verrit inane ſolum? ſua ponè ſequuntur
Regnorum excidia, & peſtes, & triſtia nautis
Prælia ventorum. quàm Phoſphorus igne decoro
Lætior! ille ſimul terris oſtendit honeſtum
E cœlo caput, e tenebris ſimul emicat orbis
Lætitia reduci redivivus. In æquore frontem
Neptuni ſulcatam Aquilonibus, & Scylacei
Naufragiis prætentam horres. ubi ruga profundi
Tollitur, & penna Zephyrorum ſternitur unda,
Innocuæ ludunt per Tethyos arva phaſeli,
Alludunt tonſis Nereïdes, in freta migrant

(a) Hæ Jovis ad ſolium, ſævique ad limina regis
Apparent. *Æncid.* 12. *ubi de Jove cæleſti.*

Et

Et cithara, & cyathus genialis, & ipſe liquentem
Aſtrorum choreis in ſcenam deſilit æther.
Ah Regi longè Scyllæa, Caphareaque abſint
Ora meo, procul Æolia cum fronte procellæ,
Nec ſit naufragii vultu metus ullus ab illo.
Terreat: &, ſontem vultus qui terret, ametur.
Ars erit eſſe patris natum, patriæque parentem.
Quod libeat cui poſſe datum eſt, miramur: eritque
Seu Fera, ſeu Deus. Ut gentem probat eſſe Deorum
Te tuus (a) Amneſtes! Divinam injuria ſola,
Quam memoris Fera ſæva refert in marmoris ævum,
Mnemoſynen fugit; inque ſuo Dii, quæ tibi libant,
Divinæ Lethes oblivia nectare potant.
Qui videt a tergo bifrons Deus, exdeus eſto.
Sic tibi thura libens dederim. Quis ſupplicet aræ
Suppliciis ſeptæ miſerorum, ubi Numina torva
Fulminibus numerant culpas, & fulgure terrent?
Adventu tonuiſſe quidem, multiſque timores
Novimus increpuiſſe tuo. ſed fulmina ſolas
(b) In Phocas, & monſtra maris cecidere, Deumque
Exemplo cautes ſolæ ſenſere Cyclopem.
Membra ſolet ſopire, caput qui plectit. In omnem
Qui culpam rigidus ſævit, ſit criminis ultor,
At vacua, quibus imperitet, ſe jactet in aula.
Præterea corpus Princeps cum Civibus unum eſt.
Parcitur his? illi quoque parcitur. abſcidit æger
Membra ſibi præceps, cupiit quæ ſæpe reponi.
Multa ſuo faciunt Medico nec funera laudem,
Nec pœnæ Regi multæ. Non calce fatigat
Peccantem, horriſoniſve minis, nec verbere crebro
Terret equum domitor. cervix huic ſeſſile tergum
Plauſa dabit, non liventes vibicibus armi.

(a) *Amneſtiæ Genius. Inde actum nuperum Amneſtiæ regiæ.*

(b) *Phocas, Monſtra, Cautes: id eſt, Regicidas, & qui præcipui fuere perduellionis adminiſtri.*

Noſtra

Noſtra ſalus ut ſit ſecura, ſalute ſalutem
Dicimus eſſe paciſcendam. ſit mutua. Princeps
Non eſt tutus, ubi nihil eſt a Principe tutum.
Intererit ſi multorum me vivere, vivam;
Intererit perdi, perdar. Vis abſtulit hoſtem?
Succreſcunt alii. præciſa repullulat arbos:
Et nova ſub ferro vindemia naſcitur. Iras
Inſtaurant nati memores: oriuntur ab illis
Mox alii. ſola non ſunt in vite nepotes.
Ut populum cohibet modicus, ſic acer acerbat,
Et furias animis ſubdit timor. Obvia pennæ
Incluſam formido feram tenet. improbus illam
Si ſimul inceſſat telis eques, infremit audax,
Per venabula, per nodos, per, quà via, per quæ
Fugerat, aggreſſura fugam. Sæviſſima virtus,
Quam timor extudit extremus, vetuitque timere.
Aſperitas nunquam non illaudata; Poteſtas
Aſpera non odio nulli eſt. Natura, regenti
Ceræ nobilioris Api quæ ſuſtulit iram
Ultoris teli, trabeamque reliquit inermem,
Nos eadem erudiit. Clementia munere nunquam
Non eſt tuta ſuo. Belli, paciſque Tyrannus
Excubias armet ferro, ſibi præſtruat Alpem,
Se Rhodope tegat. inſidiis patuere; nec uſquam
Sævitiæ murus dabitur. Clementia murus
Sola ſibi, ſibi præſidium, & Prætoria porta eſt.
Tonſorem potuit Siculus contemnere, cives
Si minùs ipſe totondiſſet. contemnere Cinnam
Ulciſcens nequit Auguſtus: contemnere parcens
Et Cinnam, Lepidoſque poteſt. ceſſere ſecures:
Sica ſimul ceſſit. Debet tibi, Livia, (a) Cæſar.
Sufficit exemplum ſibi Carolus. Anglia ſenſit,
Quid Clemens poſſit. ferrum clementia nobis
Extorſit; vultus iræ poſuere feroces,
Peccandique verecundi ſumus. Hanc ſibi Nympham

(a) *Livia enim id conſilium dederat Auguſto.*

Quin

Quàm legit ſociam prudens Opulentia! novit,
Scoria quem (a) vultum induerit. Clementia pauper
Nulla fuit. ſi deficiat clementia, terror
Quàm vectigales paucos habet! Eia age, tempus
Luſuro vacat. ignoſci ſibi, Termine, nugax
Muſa cupit. libet excurſus tentare. vagantem
(b) Linea convincat nimii pedis. Haud ſapit, aiunt,
Qui ſemper ſapit. At veniunt tamen avia ſæpe
In medium, ſæpe in modico ſapientia ludit;
Oblituſque Jovem princeps ex ungue remiſſo
Fulmine ludicram ad prædam divertitur Ales.
(c) Tempore quo læſa eſt Ætola cuſpide Mater

Sub integumento rei præſentis figura proponitur.

*Venus læſa.*

(a) *Henrici 8. ſcilicet impreſſum in moneta vili. Legi Stoum in Henrico 8. an. regni 36. de moneta vili, & adulterina ab eo incuſa poſt tot locorum depræda-tiones.*

(b) *Adverſus tranſgredientes popoſcit lineam Caſſius. ſic Rhodig.*

(c) *Poſt rerum aliquarum præviam inductionem affertur tandem in medium fabula nota de Phœbo, & Borea circa pallium viatoris. Sed res aliter narrata. Diſplicebunt, credo, Lectori moræ hac in fabula longiores, quàm pro re tantula. Libebat feſſo, & quem nihil minùs, quàm prælum meditari oportebat, plùs ſolito ineptire varietatis cauſa. Quòd ſi tamen Lector ſpeculabitur aliquo modo in Venere Angliam, in Phœbo Carolum, in Borea genium Cavallariſmi, uti nominamus, ſeverioris in furias nimis præcipitem, nec idoneum conſiliis ſanis, in Saturno genium occultæ malignitatis etiamnum plùs æquo regnantem, erit, ſpero, cur obeli infeſtius ſaltem punctum deprecer. Neque verò deſunt exempla, quæ me vel excuſent, vel veniant certè in ſocietatem culpæ. Inſtituebam in fabula ſynopſim quandam ſubjicere temporum. at quoniam fieri iſtuc commodè nequibat ſine offenſione, malebam inſulſus ipſe videri, quàm perfricare quemquam ſale meo.*

Idalis

Idalis, Idaliam e castris Amathunta petebat;
Multa gemens: & jam roseo Dea fusa cubili
Pæoniam expectabat opem. Genitricis ad ulnas
Affusi curam gemini solantur Amores:
Ulturæque sacramentum non segne pharetræ
Adjiciunt, Stygiumque senem testantur, & amnem.
*Evocati Dii cum Nymphis marinis e tribu Veneris.*
Mercurii accitu variis e sedibus adsunt
Falcitenens Avus, & Pater, Æmoniisque Gradivus,
Furtorum gratus veterum, qui præsidet arvis,
Et Tritonia Pallas, & ævo tarda Cybelle,
Et sua cum sponso Zephyritis florida Vento:
Cognatæque maris Nymphæ, Galatea, Rhoeque,
Ilia Nisæe, & Melite soror, altera vittæ
Dudum apprima tenax, & flammæ cruda maritæ,
Altera flammeolo nuper velata, fluentem
Restrinxere tori cui vincla jugalia crinem,
Atque Ephyre, atque Thoe, & citharistria Cymatologe:
Pulchra Thoe, cyanoque sinus collecta madentes,
Sueta Dionææ comes ire per æquora conchæ,
Formoso desponsa Palæmoni. nulla medendi
Doctior Arctoæ secreverit unguina petræ.
Fama mali Lemnon pervenerat. ilicet antro
Facta quies, Martisque rotæ, Telumque, notorum
Cui sonitus soli deerant, & tertius ignis,
Sepositum: mediisque incudibus omnia pendent.
Sicut erat, vultu illoto, cinctuque fabrili,
Evolat extemplo Conjux. pede proripit ægro
Se præceps in iter, fastidia matris acerbæ
Incusans, rigidumque patrem. Liparcius illi
Densa Siderites humero vestigia fulcit.
*Advenit Phœbus, & Venerem sanat.*
Phœbus adest; Phœbo Euterpe comes. audiit una
Nomen amicum Erycina parens, virosque recepit.
Latoo, Musæque assurgitur. Ille sororem
Intuitus, certusque sui. Nam quis Deus, inquit,
Alma soror, genitrix Charitum, Jovis inclyta proles,
Quis vetitis te tam prudens immiscuit armis?
Sub pelles teneros odiis quis adegit Amores?

Fortè

Fortè paludatæ Veneri ſemel eſſe licebat.
Æneadæ poſthac numerent ſua vulnera. bellet
Aligeros inter natos Æneïa mater.
Dixit; eumque ſecuta roſas, Mileſia dona,
Albentes (neque enim flori color hactenus alter
Virgineo) calathis ſupplex e mollibus offert
Muſa, Deam multa donans cum flore ſalute.
Halitus ut (a) pluteo fuſus, Divamque refecit
Notus odor, niveæ ſubitò (mirabile dictu)
Inficitur Floræ peregrino murice candor.
Obſtupuit monſtro, preſſaque ad pectora palma
Expavit conjux omen. Saturnius hæſit
Juppiter, & ſe defecit Thymbræus Apollo.
Tandem lætus ait? Salves, Erycina; rubentem
Tranſiit in florem vulnus. Mora nulla: retorta
In tergum palla, teneræ Deus oſcula dextræ
Ore verecundo libans velamina ſolvi
Imperat. At ſuſpenſa metu, & trepidantia circùm
Numina funduntur. nutant horrore comarum
Inſueto tremulæ Cybeles in vertice turres.
Flora quidem exanimis fertur cecidiſſe, Favoni
Conjugis in gremium revoluta: ſed ore ſugacem
Nectareo revocat vitam ſpirabile Numen.
Pallorem nec & ipſe ſuum erubuiſſe Gradivus
Dicitur: obliquo cui lumine Mulciber hirrit.
Faſcia jamque ſoluta Thoes ope cuſpidis auſum
Sacrilegæ, facinuſque aperit. maduere cruento
Lintea: & inſpectus quanquam tentamine primi
Plaga Jovi tenuis viſa eſt, tantùmque modeſto
Vulnere deguſtata manus, perſedit ad alta
Oſſa tamen dolor occultus. Blanditur amicæ
Lemnius, & medicæ Phœbi bonus annuit arti.
Ille humeris acto ſub lævam lætus amictu
Narciſſi tantùm lacrymam, roremque Hyacinthi

(a) *Pluteus lecti pars, in qua ſponſæ cubare ſolebant: ut ſponda, in qua vir.*

Dilectum occultè medicans affuderat ori
Vulneris, & Myrrha dilutum admorat Adonim;
Cùm plagæ mox rima omnis coit, & sua dextræ
Redditur armigeræ Venus. Euterpæa secutæ
Præcinuit septena manus discrimina voci.
Nata mari, Phœbo debes. Tibi Thespia servit,
Diva, chelys, Myrtoque tuæ Peneïa Daphne.
Imperium exerces in cætera Numina. solæ
Munere Palladio gaudent, gens innuba, Musæ.
Otia nostra fines impune, Tegæaque Phœbi
Castra sequi. Te per Lyciam millena secuta,
Per Cynthi juga, Phœbe, per Apidanea fluenta
Perfusum ambrosia crines comitatur Oreas,
Et choreis ambit; tua circum altaria Cretes,
Thyrsigerique fremunt Agathyrsi, ubi thure Sabæus
Halat ager, Cilicesque vaporant atria nimbi.
Æmonias animare solent tua carmina rupes,
Nostratemque Helicona. jocosa resultat imago
Carminis, & placidè offenso cum carmine rupes.
Vocis dulce, Lyræ blandum melos. utraque Numen
Dona sonant. ipsis animam *(a)* Lyra sufficit astris.
At Lyra cùm primùm sonuit tua, prima sub auras
Dicitur exiliisse hominum Divûmque voluptas.
Tu fabricatorem Cyclopa tricuspidis iræ
Inferias nato mittis : tu Porphyrionas,
Tu Lariſſæa Pythonas arundine cædis,
Monstra necans, sananſque Deas Latous Apollo.
Voce canit, digitisque Camœna : canente Camœna;
Ingeminant Pæana Deique Deæque frequentes.

*Intervenit Boreas.*

Riphæa tum fortè plaga nimbosa movebat
Signa truces in Sauromatas, *(b)* Taurumque premebat
Odrysius Boreas. ut læsæ fama Dionæs
Præcipitans castris increbuit, Orithyiæ

(a) *Inter sidera videlicet relata.*

(b) *Surgit quidem ex Indico mari. at pòst extensus in septentrionem Riphæis se jugis annectit.*

Scilicet

Scilicet, atque opis Idaliæ memor ocyùs arces
Aggeribus ſolidæ brumæ, niveaque corona
Deſerit incluſas. rigidæ tum fertur in auras
Remigio pennæ. quà verberat æthera, nimbi
Dant ſonitum, fugiuntque. Et jam freta Thermodontis,
Carpaton, & canam concreto frigore Peucen,
Rhætoque infeſſas arces Homolen, Pholoenque,
Et Rhodon, & Lesbon, & Cypri litus opimæ
Tranſabiens curſu pernix Amathuntia pulſat
Limina. Præſenſere hoſtem; pugilemque repentè
Inclamant Zephyrum Nereïdes. ille duelli
Suffugiens congreſſum impar, animiſque recuſans
Oppangit valvas, & vectibus impiger obdit.
Æſtuat Edono bilis: turpiſque repulſæ
Affectus ſtimulis ſævit dolor. improbus urget,
Sollicitatque humeris aditum; ſed robore poſtis
Obverſo riget. ergo Deæ delubra minatur,
Culminaque æqua ſolo poſiturum, & turbidus inſtat.
Immugit domus, & ventoſo murmure circùm
Increſcit magis atque magis fremor. ardua ſtridunt
Succuſſis tabulatorum compagibus æra,
Fragmina diſſiliunt pinnarum, actæque ſonoro
Subſultu fugiunt ædis per tecta ruinæ.
Fit fragor. icta labaſcere turris, & atria circum
Lata ſtrage coronarum faſtigia ferri.
Evolat indignans animis Tegeæus, & harpen
Arripit. At collem interea furialibus armis,
Mox animas omnes vomiturus, anhelus & acer
Vicinum Boreas inſederat. hiſpida nigris
Nubibus ora, ſupercilio prætenta procella
Ninguida, Strymoniæque hyemes per terga fluebant.
At te quæ rabies, ait? an ſe tentet in uno
Diis Aquilo cunctis veteres impingere fratres?
Imperio cludi portas & numine Phœbi
Noveris. Ergo mei tandem, Tegeatice, Phœbum
Tædeat, inquit? an Æmonias paviſſe bidentes:
Caſtalias inter pueras inflaſſe cicutam:

Hos adeone tripus animos, hos Delia cornix?
Imperiis pedibusque meis substernitur orbis
Aerei Jovis; Arbitrio Neptunia paret
Aula meo: quàque incedo, seu nubilus æstum
Attollo, verro seu numine cærula puro,
Observant gradientem & Glaucus, & Amphitrite.
In mea dant amnes se vincula; mobilis unda
Gorgoneos riget ad vultus. In viscera terræ
Ingredior, penitusque imis emota cavernis
Libramenta soli vello. Plutonia mugit
Regia, bis ternasque triceps fera surrigit aures.
Nec me Delius agnovit puer? Aone in antro
Somniet, & (a) scutica digno deleget habenas.
His dictis, placido advertunt procedere passu
Latoum juvenem. serpit per tempora, Daphne
Sepositа, dono Divæ Cythereïa Myrtus.
Ille ubi, quo cœli faciem, nimbosque serenat,
Fixerat in Boream vultum, Non hæc tua Matri
Formosæ promissa fides, ait. exue pugnas.
Bellatum Veneri satis. & conclavia Divæ,
Si lubet, interiora subi sociabilis hospes.
Hanc dederis Somno veniam. opportuna Dionæ
Visa quies; suasit delapsus ab æthere Somnus:
Et sonitus inhibens omnes penetrabilis auræ
Extimuit fremitum, & nimbosæ verbera pennæ.
Dixit. & admotam capiti super utraque virgam
Tempora quatiat Hyperboreo caducifer Hermes.
Commoti ponunt æstus, iræque residunt.

*Peraltis omnibus, discessum parat Saturnus.*

Et jam roboreo fultæ munimine valvæ,
Cardine converso, panduntur: & obsitus ævo
Saturnus, (medium ducunt ad limina Divi)
Invidiæ ille premens gravius sub pectore vulnus,
Discessum parat. hirsuto velata cucullo
Canities, lemniscatæ quem vincula byssi
Mento substringunt imo senis. atra per artus,

(a) *Phaetonti Clymenes puero.*

Tergoribus

Tergoribus ſentis, inſuto turgida villo,
Deſcendit, ſylva veniens Agathyrſide, vulpes.
Horrificant ſulci malas, propexaque mento
Defluit in gremium, ſenii laus ultima, barba.
Ploditur. acciti veniunt ad lora dracones,
Servitio aſſueti, bullaſque tricuſpide lingua
Lambunt, humectantque virentibus æra venenis.
Stare loco indociles plaudentis turbine caudæ
Exhortantur iter. curru conſcendit in auras
Grandævum bijugo Numen. manus altera falcem,
Altera ſuccuſſu tremulo molitur habenam.
Hic, ut erat ſolitæ memor artis Atlantius Ales,
Quin age, macte Aquilo: viden', ut pellitus Olympo
Hirſutuſque ſenex iter auſpicet? incute, ſodes,
Vim tibi. Riphæum robur, nervumque Boræum
Experiamur, ait. mihi ſurripe, ſi potes, illas,
Si tibi vis, animuſque ciet præcordia præſens,
Villoſas pecorum exuvias. inferre juvabit
Signorum ſupremo axi memorabile nomen.
Tendit iter mundi direptor, & heluo rerum
Per tua regna Deus. tutò ridebit, opinor,
Saturnum Boreas meus, Orithyia Cybellen.
Subſtitit, affremuitque renidens Pleiade nato
Aſtræo ſatus. extimulant & conſcia virtus,
Peliacique olim hinnitus injuria turpis,
Et famæ decus. at ſpolium vovet Orithyiæ
Mulſurum thalamos, & (a) Threſſæ frigora tedæ.
Ite animæ Arctoæ, munuſque faceſſite juſſum
Ocyùs, inquit, & Othryſias expromite vires.
Nec mora: ventoſis abeunt e follibus auræ
Per Jovis atria luctantes, & cærula perflant.
Inſequitur ſtridor nimborum, axiſque remugit.
Saturno cœlum eripitur, nec tramite certo
Incedunt bijuges; anceps a vertice turbo

*Hic agitur a Mercurio de ſurripiendo amictu exteriore viatoris Saturni. Et primò Boream incitat ad ſaeuitiam.*

(a) *Nuptiarum ſcilicet Borealium. fuit autem illa a Borea rapta.*

Flectere

Flectere nec retro patitur, nec tendere contrà.
At spoliis inhiat Boreas, in veste moratur
Sithonius latro, creberque assultibus instat.
At sterilis labor. In ventos seris, excipit Hermes.
Littus arat Boreas, & casso frigore sudat.
Fulmina nonne vides ut inania cruda senectus
Ridet, ait? Tune ille ferox, qui decutis uno
Autumnum nutu, tremuit quem nuper Olympus,
Et mea sæpe tuis Cyllene nota tropæis?
Porrigat hic herbam Boreas, & (a) pollice presso.
Intumuit porrò indignans, & inhorruit heros.
Has exosa manus victoria? frenduit amens,
Atque interciſam frendens in cæca loquelam
Murmura: Mene usquam incepto? nec plura. severò
Inglomerat vultu noctem. Exhorrescere cladem
Rura solent, cujus Boreas vel sternuat omen.
Tempestatem accire parat, ceu velite vento
Hostem antè excierat tantùm, formidine belli
Accinctam decumana. illi stridentibus Hœdis
Obsessum limen telo recludit Orion.
Dant gemitum nubes. exterritus horruit Hermes
Egressam, & cœpti piguit. tot fulguris atri
Abstiterant oculis ignes, tam grandine crines
Saxea inhorruerat, tam tristibus hispida nimbis.
Flatum addit Boreas, sonitumque, & turbinis æstum.
Concretus riget in lapidosos Juppiter imbres:
Inque vicem nebulas, & aquosa volumina laxat.
Nulla dies, nisi quam nimborum e nocte coruſca
Excussam reddunt ignes. at sævior axem,
Turbinibus cœlum miscens & murmure rauco,
Convellitque ruitque, emoto cardine, ventus.
Saturnum incessunt furiæ, ruit omnis in unum
Sithoniæ vis. At resoluta lacinia longè
Fluctuat, in laxosque sinus victoria pergit.

(a) Premere pollicem *est etiam proverbiale dictum, cujus contrarium est* convertere.

Hic

Hic porrò fremere, & vires accingere Numen;
Et nervos omnes operi. ſuus implicat angor
Conſternatum animis. loro cum falce remiſſo,
Undantes properè manus utraque colligit oras,
Eque fuga revocat veſtem. Riget horrida barbis
Stiria, conſolidatque nivem intractabile frigus.
Putrida proluvies it naribus, improba tuſſis
Algentem quatit, & præcluſis faucibus angit.
Ingeminant imbres, reſonant cava tempora flictu
Grandineo, toto venti latus agmine pulſant.
Sarcinam age, illuvioſe ſenex, & furta ferarum
Cede age, cede, & ſoſpes abi. Sed frigora ventus
Quò ſpirat magis, hoc ægro mage commoda veſtis.
Æſtuat, endromidemque tenacibus apprimit ulnis.
Inſiſtit Boreas: iterumque, iterumque ſenile
Arietat in latus. In ventos ceſſere procellæ;
Quà ventum, rediit prædo. ſibi redditur æther;
Reſpirat pater: arma legit. riſere nepotes.

Hic Hermes Phœbum aſpectans, quibus utitur armis *Deinde Phœbum:* Phœbus, ait? tua nunc tua ſenſerit arma viator? *cui amictus tedin.*
Senſerit, inquit. At occultæ ſpiramina flammæ
Laxantur ſenſim: radiis crinitur & auro
Sublimis vertex, intonſaque tempora circum,
Veſtitas & adhuc teneræ lanugine lucis
Per malas tedis incendia mollibus errant.
Ex oculis Phœbo geminus ſol ardet in uno.
Mox abit in lucem totus, qualiſque videri,
Et quantus ſolet, Eoum cùm Memnona viſit.
Propagant radii radios, ardoribus ardor
Uſquè novis novus uſquè profunditur. æthera complet
Lucis & ignis adulta dies. Sic impulit amnis
Æquor iners jactu lapidis cùm ludicra pubes,
Ex aliis alios it mobilis humor in orbes;
Et premit, inque vicem premitur fuga, donec utrinque
Aggeris extremi ludum definiat ora.
Sentit tela ſenex, & amico ſaucius ictu
Vulnus amat; lentus ſequitur de vulnere ſudor.

Tela

Tela jacit Titan. exit, qui certat inermis.
Verticis ergo sacri tegmen, nodumque trilicem
Explicat, & laxos medius discingitur artus.
Expirat vapor. At procedere lentiùs, æstu
Jam gliscente, remissus, & ilia ducere serpens
Occipit: & tunicam volupe est posuisse senilem.
Munere suscepto longùm si devius erro,
In partem culpæ venit, & sibi sæpius obstat
Auditor facilis. Num sidere fortè morantem
Errantemque malo tetigit tardigradus Erro?
Siste senex. quid agis? cranio si (a) cochlea nudo
Imminet, obtereris. Citimis in finibus alget
Frigida, brumalis regio, plaga. frigida calvæ
Officit, & branchos ciet. Incandescere cœlum
Interea, & nebulas populare valentiùs ardor.
Villoso nudus tum primùm tegmine vertex
Ostendi cœlo visus. pilus occiput umbrat
Nullus, demissi pendent a fronte capilli:
Et nunc involitant humeris tergoque refusi,
Nunc mento gremioque, ut ludicra dispulit aura.
Continuò parat assurgens brumale (b) theristrum
Exuere: &, colubrum sapiens Auriga curulem,
Horrentem pulla ponit cum veste senectam,
Et se liberior fruitur: nitidusque juventa
Innocuos haurit soles, cum solibus auras.
Mitescunt auræ cum solibus; halitus ignes
Vicino (c) brumæ veniens a cardine sopit.
Tristior esse quidem Deus, atque obsidere vultum
Nubes fusca solet, nimius quam sanguinis atri
Colligit exhalatque lien. inserpere fibris
Læta modò, & cum Sole Jovem finit. incita lori
Festivo monitu liquidum rota corripit æquor.
Cæruleum currunt iter, & per sibila linguis
Ora micant, albent spumis, & flatibus auras

(*sic dictum.*

(a) *Allusum ad historiam de* Æschylo. (b) *Ironicè*
(c) *Versus regionem scilicet acris superiorem.*

Incendunt

Incendunt circùm alipedes. prævertere frænos
Ardet, & intacta ſuſpenditur orbita nube.
Et videt & vidiſſe Hermes negat. ex oculis ſe,
Nubivagumque Auriga fuga citus abſtulit axem.
Atque hic, ut caluit venis inſueta juventus,
Inſiſtenſque viæ, pendenſque in lora viator
Impulit in dextram bigas, devexus iniquo
Pondere, partemque in lævam declivis amictus
Excidit. illum auræ ſubito cum flamine longè
Obliquæ rapuere. ſimul cum fratre Tegæo
Suſpexit, ſimul exuvias agnovit Apollo.
Panditur, inque ſinus modò confluit, & modò tortus
In varios evolvitur endromis: impete prona
In terram fertur, tum ſubſilientibus Euris
Tollitur in diverſa; plicis extrema recuſſis
Dant crepitum, limbiſque vibrantibus aura cohorret.
Decidit. acclamat Phœbo Cyllenius Hermes.
Obſtupuere animis immenſi ponderis: ardent
Cominus inſpectare ſinus, artiſque labores
Intextæ, villumque operoſum, & ſutile vellus.
Excutiunt utrinque, atque inter brachia verſant.
Tergoris huic, ſi Parnaſſo, famæque fides eſt,
Mænalius partem fugiens in luſtra Lycaon,
Partem Aries, Hellen qui vexerat, arbiter anni,
Et Nemees pavor, Heſperidumque tyrannus aquarum
Corniger, illotamque undis Erymanthia Nympha
Submiſit partem: gracili quam dente Cytori
Pexuerat lunam ad quartam Cybeleia conjux.
Phœbus abit victor. biſido victoria clivo
Ad Daphnen appenſa. *Deûm Pater, atque Avus hic eſt.*
Signatam tetigere ſenex & fabula metam.
Fabula nempe moræ pœnas luat. aſt ego (a) Sphingem
Deprecor. Ogygius, nodi qui vincula ſolvat,
Non opus eſt interpres. habent & ſeria ludi.

(a) *Sphingi ſcilicet ſupplicium ab Oedipo inflictum: quam e ſaxo ille præcipitem dedit.*

Clementia ſubinde in vitio eſt, ſi cauta non ſit.

Unum pace tua (dederis hanc, Carole, pacem)
Addiderim. Eſt & ubi peccet clementia. Tutus
Ut videar, non ſum. nimbi ſecurus & undæ
Sicca tempeſtate premor. Nec murmure terrent
Tympana, nec clangore tubæ; ſub pellibus hoſtis
Conticet. interea nitri per pabula ſurdum
Sub terra bellum ſerpit; (a) filiciſque, rotæque
Occurſu rapido diſſeminat ignea fatum
Linea: ſternunturque arces a pace doloſa.
Gens non una ſumus cum Doride Pergama. Peſtes
Incluſas in equo Phrygio fovet Anglia multas.
Molem hanc an (b) Laertiades, an Pyrrhus Epeo
Suaſerit, incertum. certè ſibi dædala Pallas
Non aſcivit opus. Neptunius ille, ſagacem
Qui cæcas uteri in latebras contorſerat haſtam,
Laocoon dedit immeritas, (an numina culpem?)
At pœnas dedit. immoto ſub Apolline Troja
Staret adhuc, & adhuc ſtarent Priameiæ arces,
Sortem, Myſta marine, tuam traxiſſet Epeus.
Ecce iterum muris illabitur improba noſtris
Machina, mons armis gravidus. contingere funem
Gaudemus, manibus læti ſupplaudimus armos:
Mœnia pandit, & intendit Clementia collo
Vincula, ſubjicimuſque rotas. O Dardana proles!
O veterem necdum Juno ſaturata dolorem!
Clauſtra Sinon ----- At (c) Muſa ſile, deſponſa Cho-
Muſa, Dei juſſu Carolo non credita vates. (rœbo
Serò mihi ſapient iterum Phryges. Ilia claſſem
Turba ſub Antandro, & nota molire ſub Ida.

(a) *E duplici modo incendendi cuniculos hic recentior eſt, cujus meminit Strada lib. 6. dec. 2.*

(b) *Quem Laertiaden, Pyrrhum, Epeum, Laocoonta, quem Apollinem in ſuperioribus Angliæ tumultibus, item quam machinam modò, ſeu equum Trojanum velim, puto non latere Lectori.*

(c) *Caſſandra e Parnaſſo nova.*

Sed

Statua Pacis.

Sed quid ego hæc? meliora canit præsaga futuri,
Quam tueor, festivi oris cultissima Virgo,
Cum Spica molli, cum Termite, cumque Racemo,
Et, quicquid parit Utilitas, complexa feraci
Nympha sinu. Necte, Irene mitissima, nodum,
Discordem gladium qui rideat: impia Bella
Claudat compages æterna, (a) Stonhengiaque obdat
Tota fores; nullos videat concurrere (b) montes
Tellus, & nullas iterum (c) Symplegadas undæ.
Multa, tuis ludens in laudibus, extima terris
Uranie de te meminit, sociæque Camœnæ
Te decimam optavere. tibi, concordibus Horis
Noctem inter lucemque pari quà pondere pendent
Tempora, triticeoque viret quà mergite Virgo,
Esse locum narrat. se contrahit & bona Virgo,
Contrahit & non invitam pia Libra bilancem.
Castra procul, lituique. feras, te dante, vel ipsas,
Ascitos cœlo cives, pax aurea mulcet.
Nec latrat mitis Procyon, nec sibilat Anguis,
Nec rugit Nemee: Phylacem nec rejicit Arctos,
Mugitus nec Agenorii per cornua fusas
Exterrent Hyades. sed nec rota mobilis usquam
Instrepit, astrorum dum volvitur igneus axis.
Te cœlo reducem veneror. quàm classica dispar
Nostra sonant cœli concentibus! obstrepit illis
E terra fremor, & mundi catadupa sonori.
Ad nos te patrio Carolus deduxit Olympo.
Ille tibi (d) æternam ponet, quam secula fundent
Cuncta, suo pridem quam pectore condidit, ædem.
Et modò, Nympha, Popæ dextrùm annue, (lingua fa-
(vebat

(a) *Moles lapidum stupenda in Comitatu Wiltonienſi, dicta* Stonenge.

(b) Et montes concurrere montibus altos. *Virg.*

(c) *Prælia navalia.*

(d) *Templum erat Pacis Romæ, quod appellabatur* æternum.

Alitis, heſterniſque Deus ſpirabat ab extis
Integer) & ſine, pacales cruor imbuat aras.
Huc age, rumpe moras, nitrum, baccamque nefaſtam,
Naryciamque picem, & fruges cum ſulphure ſalſas
Huc age ſis, redimite puer. Clitumnus aratro
Serviat. æqua jugo cervix haud apta ſecuri.
Sanguine Cyniphio nec opus. Siſtatur Enyo
Victima. Cernis, ut ardentes intorſerit orbes
Lumine ſanguineo? Ludibria deripe criſtæ
Ventoſæ; fronti latices inverge Cytæos;
Deme ſupercilio ſetas: ea proxima ſunto
(Ut faſtu riguere!) foco libamina. Cultro
Parcitur. hæ vitam paſcunt, non funera tedæ.
Siſte. nec iſta petunt ultrices pabula flammæ.
Sylvani gentem innocuam quæ creſcere nobis
Invidia eſt? ſtent illæſæ cupreſſus, & ornus,
Et caſus abies alios viſura. Lacænis
Siqua tamen Nymphis centum gravis afforet (a) arbos,
Nullus ego abnuerem. At prô Numina! (b) Machina,
Fœta minis, aciem quæ turbat? Et ecce rotarum (belli
Magnifico lapſu invehitur, ſuccincta tumultu,
Mortiſque interſepta metu. Faſtigia tecti,
Tranſverſa cancellatim trabe, & aſſere denſo
Projicit in planum moles. Grave ſublica pondus,
Robore decuſſatim acto, quàm ſuſtinet ingens,
Quàm ſtipata! Operis frontem, & latera ardua munit
Quàm lorica frequens, cuneorumque horridus ordo!
Porticus in medio vaſta, & circumdata Martis
Inſtrumento omni. Pulchrè. Dii vota ſecundant.
Bellonæ ſolium agnoſco, fœdamque ſororis
Tartareæ ſedem. Satis eſt. alimenta popoſci?

(a) *Patibularis aliqua ſcilicet onuſta meretricibus, Helenæque ſimilibus, quæ fax erat belli Trojani.*

(b) *Machina, quam* Galleriam *vocant, inter apparatus bellicos una e præcipuis, in qua Bellona comburatur.*

Ardeat

Ardeat ipſa ſuo bellatrix fomite Virgo.
Cædibus in mediis ſolet hoc in mœnia curru
Ferri Diva triumphalis. pyra funeris eſto
Supremi. dicentque noviſſima Fulmina verba.
(a) Congere cum clypeis enſes, cum curribus haſtas,
Vivaci nitrum cum ſulphure, tympanaque, & arcus,
Baliſtas, & malleolos, clangentiaque æra,
Signaque, fumantiſque globi murale tonitru,
Et quæ ferrea cunque ſtrepit per caſtra ſupellex.
Bello omni Bellona flagret. Funalia nitro
Subjice. ſiſte. dabit flammas Epheſina. (b) Dianæ
Porgitor ardentis raptus de funere torris.
Prô, factum bene. fervet opus. cum Numine votum eſt,
Nubila torquet ubique volumina, & altiùs undam:
Ater agit vapor, & tempeſtas ignea ſurgit.
Confuſum viden' ut Rabies, & fuſilis Ira,
Ambitioque fluens rivis, galeataque Cypris
In cumulum coit? Ecce Dolus, Faſtuſque, Rigorque,
Et præfracta Licentia, Amorque effrænus habendi,
Inſidiæque, & Livor edax, & Furta liqueſcunt.
Et jecore, & toto modò viſcere clangitur. ardet,
Solvitur, in cineresque ſuos ſubſidit Enyo.
Vade age, Myſta: pient artus & ſulphur, & ovum,
Eſto ſacer: Divam nec fas vidiſſe, priuſquam
Purgarint oculos & myſtica lampas, & undæ.
Ut Pæſtum mihi ſpirat adeps! an meſſor odores
Aſſyrius tales legit? an Gangetica buſto,
Cujus, quicquid odoriferum eſt, genitabile funus
Et Cilicum ſylvis, Arabis & meſſibus halat,
Immoritur volucris tali? Sed nulla refingat
Faxo ſuum in cunas Phœnix Bellona ſepulchrum.
Tota tibi cecidit, Pax, hoſtia decolor ætas,
Ceſſit ferrea progenies. accingere ferro

(a) *Vide, ſi lubet, & plura deſideras, Bald. ſylv. 9. Od. 20. & 25.*

(b) *E religionis vaſtatæ, & templorum ruinis.*

(Edixit

(Edixit Dea) sola Ceres, & sola Diana.
Edixit? (a) Nova quæ subitò tamen impulit aures
Formido, Boreæque afflans e cardine rumor?
Ergo iterum ferro & lacrymis it tessera signum?
(b) An Syllæ venere alii? Sertorius alter?
Et conjurantis dux (c) Spartacus alter arenæ?
(d) Ad (1) *Scutum*, Juvenes, ad (1) *Habenam* rursus, ad (1)
Imperio quis (3) *Restitui* meliore jubebit? (Hastan.
Respice, Diva, novis ut adest exterrita castris,
Mœsta, tuisque iterum rediens advolvitur aris,
Anglia. sed latus ense redit nudata, comamque
Casside, & ære sinum. miserere gementis, opemque,
Per, gentis te si quis amor, tutelaque tangit,
Fer miseræ, facilesque manus oppone ruinæ.
In veterem infelix adsum revoluta querelam,
Et veteris telam luctus invita retexo,
Anglia, non tenui tibi nomine debita. Mentem,
Sic equidem ducens animo, accepisse benignam
In me jam nuper Superos, & pristina rebar
Obduxisse simultatum vestigia. Cœli
Ferrea, ceu quondam, facies, iræque recursant.
Si, tu cùm regno præeras, de te bene siquid
Commerui, si fronde tuas intexuit ædes
Palladia, fovitque focos, araque sacerdos:
Si pelago (c) lanas, & nulli noxia vela
Mercatura tetendit, & ipsam læta vocavit
Te rediens lucri in partem: si jura, forumque

(a) *Hæc scripta sub allatos rumores tumultuum nivorum in partibus Angliæ septentrionalibus an.* 1663.

(b) *Novi scilicet, sed præcipuè* (c) *e plebe exciti tumultus.*

(d) *Voces militares olim usurpatæ; quas modò efferimus per* faces about (1) To the left: (2) To the right: (3) As you were. *Ælianus.*

(e) *Vitæ lancæ non supplicum modò, verùm & pacificorum.*

Incorrupti

Incorrupta Themis coluit: ſi Palladis artes
Integræ viguere, oleæque Aganippides undæ
In laudes tumuere tuæ, ſuccurre, tuiſque
Indulge, Dea, muneribus. Tua non ego rupi
Fœdera, pugnacemve immiſi finibus (a) haſtam,
Verbenas oblita, tuis. Si, numine læſo,
Offenſum eſt, dedimus pœnas. en victima (b) Paſtor
Ipſe gregis noxam, & vittam ſacer ipſe gerebat.
Nonne ſatis parere, mori cùm juſſerit ævi
Quæ modici ſtat cuique dies? & rumpimus ipſi
Licia Parcarum, & crudelibus addimus ipſi
Ingenium fatis. Quoties mutavit ariſtam
Flava Ceres, noſtroque adolevit ſanguine rubra?
Si noſtra peregrina, domi nec nata bibiſſet
E vena ſitis, eſſet, ubi tolerabile fatum
Solarer, venæque redenderet illa viciſſim
Damna peregrinus ſanguis. peregrina Britanno
Terra, peregrinus gemeret ſub milite pontus.
Aſt ego (c) vipereum, & ſoli mihi flebile bellum
Parturio ipſa mihi. Sparſos age collige crines,
Anglia. num riſit (d) Dea? Riſu ſolvitur illo
Cum fletu metus. (e) e Borea ceſſere procellæ.
Suſpicis? agnoſcis dudum tibi, Carole, notam,
Et te quæ dudum agnovit. Tibi, larga Voluptas
Quas dat opes, quas Utilitas, non invidet. ora
In tua ſe tamen inſinuat, nimiæque Poetam
Damnat fortè moræ. Te vendicat illa, ſuique
Te fore juris ait. Quin & natalibus illud

ORDO
Quintus.
Statua
Gloriæ.
*Comites*
*Philodoxia,*
*ſeu Cupido*
*gloriæ,*
*Victoria,*
*Muſa.*

(a) *Ut feciales ſolebant bellum indicentes.*
(b) *Carolus primus interemptus a perduellibus.*
(c) *Alluſum ad partus viperarum: ubi catuli poſtremi rumpunt latera matrum.*
(d) *Pax ſcilicet, coram qua hæc modò ſolennia peragebantur.*
(e) *Nam Buckingamii Ducis adventu cum copiis militaribus tumultus iſti non ita multò pòſt reprimebantur.*

Alluxiſſe

Alluxiſſe tuis ſe prædicat auſpice (a) Sidus.
Sideris in mentem veniat. Certaſſe feruntur
Aſtra, tuos quis natales daret arbiter ignis.
Conſulitur (b) Genius. Cœtus ſe Gloria miſcet
In medios, puerumque ſuum probat. illa (c) Coronam
Evocat. Accitu Dominæ Minoia virgo
Juſſa capeſſitura venit. Te, Gnoſſia, tangit
Hoc, inquit, munus. Juvenem per devia multus
Præſultans Error ducet. Tu dirige greſſum
Rerum gnara dolos evolvere, certaque monſtret
Lampas iter. Dixit. Lucem pia Stella novenam
Colligit in nodum. Stellæ, mora nulla, remittit
Cœlum Sol commune: nec invidet æthera Nocti
Diviſum cum Sole dies. Subit illa diurnæ
Certatura faci, tantoque ſuperba Corona
Munere regali perfundit ſidere cunas,
Seque coronatas videt, explerique videndo,
Te dives, nequit. Ambages at mittere tempus
Admonuit. ſe prodat amor, fateatur & ignes
Gloria caſta ſuos. Ipſam num fortè putemus,
Innubam adhuc, (d) flammam e cœlo exhibuiſſe juga-
Amplexuſque petiſſe tuos? O candida merces, (lem,
Meta laborum, & dulce lucrum! Tantone (minori
Non venit) pretio Carolus (e) venire recuſet?

(a) *Notum de ſtella, quæ medio die fulſit in ortu Principis in omnium conſpectu.*

*Habebatur ſtella emblema gloriæ apud veteres. Sic de ſtella Aſcanii, Julii Cæſaris, & Honorii.*

(b) *Nam aſtris ſuus cuique Genius affingitur.*

(c) *Coronam Ariadnes inter ſidera relatam, novem ſtellis ornatam.*

(d) *Sic de ſtella Honorii.* Nupturiebat tibi, Honori, Gloria, & ſtella veluti facem nuptialem præferebat.

(e) *Dignum pretium, quo ematur Principis amor. & reſpicitur ad nuptias Romanorum, quæ fiebant farre, uſu, vel coemptione. ſic 1. Georg. de Thet. & Aug.*

Solares

(a) Solares intra thalamos, & Luminis ortus
Sub primos illam Virtus enixa ſub axem
Æthereum fudit : ſimili cui cyclade lucis
Indutæ, mitras inter trabeaſque reclini,
Sidereo religaſſe comas, & pectora cinctu
Dicitur, æternamque ori ſparſiſſe juventam;
Temporis ingenui quam filia Laudis alumnæ.
Ubere fovit Alethea, &, cùm robur ab annis
Venerat, evectam Famæ pernicibus alis
Templa Deam Diis ſpectandam per gemmea duxit,
Æqualem Superis, & ſe præ ſe ore ferentem.
Nobilitas illam curru comitata decoro
Mille retro fluit in populos, & mille reſignat
Vultus antiqui ceras. Ancilia, Faſces,
Et turbæ Titulorum, Aquilæ, Trabeæque, Togæque,
Circumeunt gradientem : inter quas vertice toto
Surrigitur ſuprà, atque apices popularibus auris
Commotos attollit Honos. hunc mille ſecutæ
Spes (b) niveæ circùm prenſant. procul Ambitus,& quæ
Cum (c) multa cretata faba, ciceriſque caniſtris
Venales promittit emax Ignavia currus,
Degeneres numerat cenſus. at turpe Repulſa
Ore ſolum, &, quæ non ſequitur, veſtigia mordet.
Hæc eſt illa, tuum terras ſuper, æthera ſupra
Quæ vehet, attolletque ad ſidera Gloria nomen.
Proxima ſorte locum (Vortat bene. tota faceſſat
Suſpicio noxæ) Philodoxia, pulchra Cupido,
Non præceps, impoſve animi tenet : integra laudum
Nympha, nec illa ſui minùs integra. Quam Phyſis altis,
Linea quò cœlo propior venit, altiùs indit
Mentibus, igni & aqua tun' interdixeris ? Illi
Armigerum ſtatuit prudens Natura Pudorem.
Puſio fortè tibi viſus ; ſed pectoris hoſpes

Statua Philodoxiæ.

(a) *Vide Caſimirum Lyricorum lib.* 3.
(b) *Candidatæ.* Niveique ad fræna Quirites. *Juven.*
(c) *De hoc more prehenſantium Perſius in Satyris.*

Herculei, Heroum custor, cui credita Virtus,
Ventosam exedræ Nympham dixere severæ.
Laudo salem. At pennam tollunt ad nubila venti.
Restinctus virtutum ardor, nisi fomite flammam
Hoc foveant, hoc libarunt e fonte Camœnæ,
Hinc Galeæ, hinc Lauri, hinc ipsæ venere Tiaræ.
Hanc pullum ad lucem explorat Jove prædita Mater.
Cujus avos, laudumque acies interrita soles
Non tulit, arcetur tabulis inglorius hæres.

Sit cupido gloriæ vera, & propriæ.

Gloriæ amor si quem teneat, quæ sublita fuco est,
Et coemit vultum, fugiat. Neque sit mihi tanti,
Messe sua quæ non vivit tenus: improba fugit
Quæ ceras atavorum, alienaque pabula carpit
Deses, & invitis arcessit nomen ab Umbris.
Quæ genus & proavos jactant præconia Manes,
Damnabit Minos furti rea. Fallor? an ora
Propositæ sub nostra venit factura Volucris
Materiæ appositum pondus? Sic fabula scenam,
Sipario amoto, subit altera. Ludere vati
Concessere subinde Deæ. quin sæpius ipse
In tenui ludit, Pindique in vallibus imis
Aut pinguem Lycidam, Satyrumve movetur ineptum,
Aut Culicem, Muremve canit Pataræus Apollo.

Fabula de Cornicula induente se plumis alienis.

Non hic te moror ætatem. (a) Quo tempore Divûm
Atque hominum Pater, in flavo Ganymede fidelem
Expertus, cœli & facis in consortia rubræ
Admisisse Aquilam fertur, propriamque dicasse

(a) *Est res hæc non tam fabula, quàm allegoria. per Deas Venerem, Minervam, & Junonem intelligitur Pulchritudo, Scientia, & Potentia, e quibus gloria quæritur plerunque. Per tot Avium nomina intelliguntur Mortalium varia genera, quorum alii e concepta opinione suorum meritorum, alii perverso modo nituntur ad gloriam: alii viles, & sordibus suis contenti omnino negligunt, &c.*

Flagranti

Flagranti dextræ : Veneri, castæque Minervæ,
Et Junoni, unà riguis ut vallibus Idæ
Consedere, sibi sociam sacrare volucrem,
Cuique suam, pariter placuit. Vicina latebat
Ilicem obtentu frondis, placitisque Dearum
Intererat furtim Cornicula. Solis ab ortu
Huc ades, Oscen, ait. Me scriberet optima Juno
In sociam, matris quàm filia dicerer albæ !
(1) Delie, sit cum pace tua : da vertere vestem.
Dixit : & incussu pennarum agitabile corpus
Crebra ciet, plausuque everberat alite sudum
Accelerans, notosque petens animosa Penates.
Nox erat, acceptamque sinu gens plumea noctem
Frondosi ruris per tecta, lacusque silentes
Jam somno posita, & curis exuta fovebat.
At non in somnos votis intenta, nec ullam
Solvitur in noctis partem Cornicula. regni
Objicitur species ingens, & nomina rerum
Grandia. Reginæ jam nunc assurgere visa
Gens incedenti minor : officiosa volantem
Jam nunc circùm ambire cohors : promittere nidis,
Jam nunc nil mortale sonans, immitibus ausa
Ambrosiæ micas, & spicam virginis Astri,
Libum, farra, molamque, & quicquid libat ad aras
Antistes sacra seu calicis, seu lancis opimæ.
Quæ ferar ! imperium divisum cum Jove Juno,
Alite cum Jovis ales habet Junonia, Cornix.
Eximiæ dotes animo. sed dotibus, aiunt,
Eximiis impar species. in corpore pulchro
Quæ venit, arte probè lita, picturataque virtus
Gratior. in mediis, fateor, formosa coruscat
Pennarum tenebris. at versicoloria, Numen
Fœmineum, præfert puris insignia Juno.
Multa volutanti tandem hæc sententia surgit.
Evolat : & tacitæ noctis, cœlique sopori

(1) *Est enim e Phœbi familia.*

Munere lætа (a) Lavernam, Atlanteumque nepotem
Compellans, (b) Neque lanx, inquit, neque licia desunt;
Vestris hæc ego sub signis. Nec plura. Volucrum,
Cuique notis macularum ut erat cultissima pluma,
Tecta petit: passuque umbrosa cubilia lento
Lustrat, & exuvias habiles, ut quæque caducæ
Corpore (defluvium pennis indixerat æstas)
Abstiterant, legit, & lectas sub tecta reportat.
In lucem latet, & furtum componit. easdem
Altera nox, repetit nox altera, & altera curas.
Junoni mensis sacer, & cum mense redibat
Expectata dies: Phrygiæque sub ilicis umbra
Adversos legere ut possent e cespite vultus,
Cominus assedere Deæ. Per rura volatu
Jussus adest placido, cœlumque in vellera cogens
(c) Octipedem mulcet Zephyrus, & temperat auras.
Undique convenere, frequentique æthera cœtu
Cinxere aligeræ gentes, quæque hospita septa
Villarum, assuetæ imperio, quæque invia dumis
Rura colunt, & quæ rupes, suspensaque saxis
Clivorum juga, quæque lacus, & litora servant,
Et cultu, & linguis variæ. Venere Palumbes
Acciti, Perdix, & Anas, & Milvus, & Anser:
Pavus adest, in quem (d) nuper migraverat Argus;
Excubitor cristatus adest, qui cantibus Eon
Evocat, & cristatus Epops, & vertice Nisus
Purpureo, & galeæ cono præsignis Alauda,
Mole pusilla, vigens animis. E Strymonis alveo
Naupliadæ volucres, e Chaone missa Columba,
Psittacus e sylvis Auroræ, & Memnonis arvis,

(a) *Præsides furum.* (b) *De licio & lance furum Al. ab Alex.* (c) *Cancrum Junii sidus proprium.*

(d) *Si quibus Avium in fastis circa tempora, & circumstantias quoque rerum gestarum aliter forte sit, Annales non uni sunt; & nihil minus constat, quàm memoria historiæ volatilis.*

E Pandi-

E Pandionia quoque Daulias utraque terra;
Utraque Daulias, at melior soror altera, quæque
Muta puella fuit, nunc in suspiria vocem
Librat, & indignam queritur lacrymosa rapinam.
Tuque, tui pater atque hæres, æterna Volucris,
Adfueras, tempus sub idem nisi fortè litasses
Soli, fovisseque recens a funere nidum.
Corvus abest, & Vultur abest. hunc rupe Prometheus
Caucasea, turpesque epulæ tenuere: sed illum
Ira gravis, versæque recens injuria formæ.
Inter & esse decebat avem Meneïda. solis
Non ausam radio nimiùm se credere Vesper
Abdidit. At fidens, & mentis conscia multæ,
Præceptamque animo jam tum meditata Minervam
Noctua, nec verita illa diem, sub luminis auras
Extulit os, os Palladium. Plausistis Athenæ.
Ecce autem cœli e diverso sola, sed instar
Agminis ipsa, habitu plumoso insignis, (ad unam
Conversi cunctarum oculi. stupuere volantem
Numina, nec sese ipsa minùs suspexit euntem,
Tantùm non ignota sibi) spectabilis Ales
Conventus venit in medios. illi aureus ora,
Et frontem prætexit honos: in vertice fulvo
Surgit apex, ternæque jubæ, Tritonia quales
Ostentat, cùm per Tanaim bellatur Amazon,
Virgineas præitura duces. Per turgida colla,
Tergaque, purpureosque sinus, & punica crura
Multa jacit latè ambiguos tessella nitores.
Nec minor a tergo fastus. per syrma superbum
Plurima pennarum luxu Thaumantias errat.
Sistere circùm ardent omnes. Heroida cernunt
Non aliàs visam. Vah, Jupiter! æmulus instat
Pavo: suos spoliis oculos speculatus in illis.
Primus Pavo. calent iræ. par omnibus ardor.
Continuò sævitum animis. glisscente tumultu,
Invidiaque odiisque ferocibus omnia fervent.
Unguibus infestis certatim, & vindice rostro

Se

Se repetunt; prædam inviſam, ut data cuique facultas;
Excutiunt, velluntque, ruuntque. O ſoſpita Juno!
Furtivis exuta coloribus, inque voluero
Eruta, tu cornicula eris, riſumque movebis.
Nec tantùm riſum movet; & ſua pœna luenda eſt.
Exulat. hæc Divæ triplici ſententia ſedit.
Exilii, Britonum ad talos, (a) Cornubia ſedes.
(b) At nimium in vitio eſt. & *vellit Cynthius aurem.*

Statua Victoriæ.

Altera ſed quam te, Virgo, quo carmine dicam?
Palladione ſatam te ſanguine? Palladis inſtar
Quantum eſt in Nice, Nices in Pallade quantum!
Oris pulchra quidem, Nice, ſed torva voluptas
Eſſe tui ſolet. impreſſi cum pulvere ſoles,
Relliquiæ irarum, campique recentis imago,
Atque hoſtis vultus memores. Quàm diſſidet ori
Hæc illi ſpecies! rubet hæc Victoria nullo
Sanguine: nec ſolitum præfert Victoria Martem.
Namque ubi debellata cohors, domitrixque catena
Regnorum, & rigidi faſces? ubi ſæva ſecuris,
Captivique ſupercilii pavor, & rota ſqualens,
Damnatæque Orco inferiæ? nec roſtra carinis
Diruta, mœrenteſque Deos, nec rapta Cethegis
Signa, nec indutas Feretri geſtamina quercus,
Cætera feralis pompæ nec fercula cerno.
Scilicet eſt, poſita cùm dimicet ægide Pallas,
Gorgoneæque albente manus armentur oliva.
Et præfert nobis alios Victoria vultus,
Bellator cùm pugnat Amor. veſtire cruentam
Gaudeat excidiis pompam Victoria vindex,

(a) *Cornicularum regio feraciſſima.*

(b) *Purgatio hîc eadem ferè, quæ in priore fibula; cui ſi apud Zoilum locus non ſit, adepol non laboro. At apud Principes etiam ſeria exhibere nonnunquam ſub integumentis ludicrorum non omnino inuſitatum. At excurſio in utraque fibula longior juſto, inquis. Nunquid non dixi aurem vellicatam?*

Se

Se minor, ut victo major. quæ blanda volentem,
Gaudentemque triumphari ſub vincula miſit,
Præ ſe blanda ferat, redimitaque amoribus ora,
Et victo, ſeque illa ſimul Victoria major.
Victus at inde minor negat eſſe. triumphat uterque.
Famam, Gloria, præteritam, faſtoſque revolve,
Diva, tuos. te nec teneat limeſve Britannus,
Palmeti pars ampla tui, ſeu limes Iberus,
Nec decorum quo porrigitur modò Gallia campo.
Metire & gentes, & tempora. Reſpice currus
Pampineos, rubroque actas e littore tigres;
Contemplare ducem Emathium, Tigrimque fluentem
Sub juga Pellæi faſtus. Per ſecula mentem
Itala fer memorem circùm: quo Conſule Cimbros
Spectarit, Libycoſque Tonans e rupe triumphos,
Quo Duce Carthago ſupplex, quo Cæſare Teuto
Sub Latias humiliſque ierit Pharſalia portas.
Fare age. Num majora dies ſpectacula terris
Ulla dedit, quàm cùm roſei ſub (a) Veris & Aſtri
Auſpicio gemini cœlo ſua munera, nobiſque
Os oſtendebas illud, quo priſtina viſo
Claruit Aſtrææ facies, quo diſſita mundo
Anglia, nec mundo mage diſſita, quàm ſibi, tandem
Ad ſeſe rediit, rediit probitaſque, ſaluſque,
Et tota pacis comitata propagine Virgo?
Solennes audire ſonos, feſtumque tonitru
Tarpeiæ noſtræ videor, vocaliaque æra
Templorum, & cantus, conſpirantumque tubarum
Aſſenſu placido reſonas per compita voces:
Et, quæ perſonuere magis, per tecta domorum,
Per cuneorum alacres cœtus, arrecta ſenumque
Et juvenum, & teneræ longè ingeminata catervæ
Gaudia. Per nubes ierat tum fortè Notorum
Inſidens alis Fama, & conterrita fertur

(a) *Maii 29. eo enim die rediit Princeps profugus Londinum.*

Nec

Nec centeni oris linguas audiſſe, nec æris
Signa ſui. Deſcende polo Dea: claſſica miſce
Et tua. Cernere opes videor, Phrygioſque nitores;
Induta ſque Tyro plateas. Incedere cerno,
Oebaliæ quales nunquam vidiſtis Amyclæ,
Mandentes fremitu læto ſpumantia fræna
Cornipedes: Cerno, lucem quæ luce laceſſunt,
Auratas acies: Te, Carole, Carole, cerno
Poſt tantò, qualis rerum ſub fumida buſta
Imperium lucis repetens Hyperionius Sol
In ſellam emicuit, cœlique reſumpſit habenas.
Anglia, te ſola felix, virtutis avitæ
Dives, & imperio natum genus: Anglia, mundo,
Ut mundo potior, diviſa, liquentibus ulnis
Ubera quam Nereis inter fovet, Inſula regum
Mater, alumna coronarum, & fidiſſima cuſtos,
(a) Mota loco fœdè nuper quò gloria ceſſit!
Servibas, o ſervibas. at vertice (b) curto
Liberior Bruto viſa es. (c) Vertigo Quiritem
Non creat. En priſco rediit (d) Feronia vultu,
Vindictaque tuam vera te fecit; & ipſe,
Sanguine deterſo, & miſſo certamine, liber
(e) Feſtuca tactam calcat gladiator arenam.
Anglia Bellonæ furiis exercita, (ſtirpis

(a) *Ejecto Principe per dominatum per duellium.*

(b) *Alluditur ad morem curti capilli apud illos tunc temporis: qui idcirco* Rotunda capita *appellabantur paſſim.*

(c) *Ut tondebantur olim, (ad quod alluditur per* verticem curtum) *qui vocabantur ad pileum libertatis: ſic iidem* (*ad quod alluditur per* vertiginem plebis) *circumagebantur, poteſtate videlicet illis facta eundi, quò vellent.*

(d) *Eſt etiam Dea libertatis.*

(e) *Virga prætoria, ſicut &* vindicta, *manumittens.* Quid ea? ingenua, an feſtucâ facta? *Plaut. in Mil.*

Heu

Heu Phrygiæ nimiam! ) in terris quæ non modò flebas
Pergama, quos non passa tuis Simoentas in undis?
Ecce tuos bellator adest qui perculit hostes.
Perculit: & nullus sequitur de vulnere sanguis.
Carole, sublimis solium conscende: tonanti
Inseruit qualem dextræ Colophonia Musa,
Partem sume Catenæ unam. pars altera longâ
Defluat nodorum serie, discretaque partes
Definit in plures. Agedum, Calydonia pugnax,
Anglia prompta manu, bellax Hibernia, siquos
Fortè animos alitis cæca feritate rebelles,
Siqua Cytæinæ stirpis malafibra medullis
Hæsit, siqua novi se germinis egit in auras
Ambitio, mactè, validasque audacia summos
Induat in nexus palmas. accingite pulchro
Unà operi certatim omnes, accersite nervos
Nobilis invidiæ, soliique e sedibus hostem
Detrahite invisum. Certamen inutile. nisu
Quàm facili Pugiles ad se trahit ille trahentes!
Nexu libertatis Amor trahit. Anglia tota,
Tota Caledoniæ virtus, Hibernia tota
Victricem agnovit dextram; votiva sequuntur
Signa, minæ veteres posuere, sequuntur amores,
Seroque est in amore dolor. non dimicat ira
Carolus. *Omnia vincit amor.* Cessistis amori.
Indue, te spoliis, Amor, indue. collige campum.
Anglia, sorte tua, teque utere: victa triumpha,
Et victoris in amplexu, gremioque bonorum,
Quæ Superi exhibuere, fide. Genialis an optem
Gaudia pacis? habes. an opes, queis utraque terram
Tethys inundet? habes. an laudem, & opima decoræ
Præmia frontis? habes. habeas hæc dona, diuque
Ut potiare, (quis est, qui lividus abnuat?) opto.
Ut potiare, diuque habeas, extrema catena
Supremæ, nodisque sequacibus apta voluntas
Accedat. Sunt & mundo sua vincula. Jurant
Causarum in leges Effecta; Potentior orbem

Continet inferiorem æther: huic proximus, aulæ
Sidereæ excubias ſtabiles qui digerit, ordo
Obſequitur, mediis imi. Quà torquet habenam
Phœbus, Eleuſinis ſequitur cum meſſibus Æſtas,
Nec ſolvit nexum Autumnus. Soror extima cœlo
Quà frænos quatit humentes Regina bicornis,
Ponè citi ſubeunt Menſes, cum menſibus Undæ,
Cæruleuſque tridens refluis cum fluctibus audit
Imperium lori. Certis hæc jura tueri
Fœderibus, Natura, tuum eſt. diſcordia nodum
Ruperit? informis redit, *indigeſtaque moles.*
At nodum nos hunc diſſolvimus; Anglia fœdus
Diſcidit. &, rerum facies quæ deinde ſecuta,
Vidimus. At veteres furere implacata furores
Deſine. ſat furiis licuit. miteſce: nec ultrà
Cognatis in viſceribus tot crimina ſudent.
Quòd ſi pectus habet, bellatrix Inſula, ferri
Tantus amor, nec ſanguineum præcordia Numen
Excutiunt, armis genus intractabile: ferro
Occidui crimen commune refellere mundi,
Euxinumque ſequi, Auroramque repoſcere furta,
Biſtoniiſque ſuum terris immittere Martem
Quis vetet? Adveniet, luſtris volventibus, ætas,
(a) (Sic fatis placitum accipio) Mavortia Bruti
Cùm Thracen armis ſubiget domus, Ionioque
Anglia palantes agitabit in æthere Lunas.
Affore præſentit Vates, cùm finibus alter
Hunniades noſtris ſurgat, cùm Caſtrius alter,
Atque Epirotæ ſpirent in Britone Manes,
Threïciæque ſupervolitent Capitolia Romæ.
Præcipe fata, tuaſque, Brito, præſumere laudes
Ne pigeat. (b) portus Afri patuere, foreſque

(a) *Simile quid haberi intelligo in vaticinio quodam, fide digno, aſſervato inter cæteras res memorabiles in archivis cujuſdam domus religioſæ Neapoli.*

(b) *A ditione modò habita oppidi Tingitani.*

Venturis

Venturis (a) Abyle fatis Mauruſia pandit.
Sterne viam fatis primam, (b) Jacobe; ſequentur
Fata, eadem ipſa duces. Jam nunc tua ſigna triumphis
Induere, exuviis jam nunc fulcire triumphos
Barbaricis geſtit Victoria. Gallia quondam
Militiæ licet impubis te pulvere primo
Sordentem pulchrè, magno, cui concolor ibas,
Senſit avo dignum. Pugilem ſed arena poposcit
Altera. te Frater caruit; traductaque virtus
In Belgas ſocium docuit rugire leonem
Rugitu noſtro. (c) Dominas tibi claſſis Iberæ
Heſperius Pater, Oceanique potentis habenas
Obtulit, & cogi merito. Nereia Gades
Tranſcripſit genero Thetis, æquoreæque tridentem
Sancivere tubæ. (d) Sed opis fuit indiga tantæ
Patria. ſubduci patriæ non debuit uni
Terrarum communis amor. Nec defuit orbis
Hic votis Deus. in mundi te gaudia natum
Permiſit mundo. pelagi nam fræna Britanni,
Hoc eſt, quacunquè exercent in carbaſa venti
Imperium, dextra moderaris, & omnibus audit
Oceani deſiderium Jacobus in undis.
Et jam vela darem in laudes ſimul, inclyte Princeps,
Ipſe tuas, pelagi timidus niſi litus amarem,
Quem premerent æſtus medii, laudumque ſequentes
Uſquè ſecutura ſerie, Jacobe, tuarum

(a) *Abyla, ſeu Abyle, & Calpe, montes utrinque oppoſiti: quorum Abyla coercet montes Africæ in oræ Tingitanæ, Calpe Europæ in Hiſpania.*

(b) *Jacobus Dux Eboracenſis renunciatus Gubernator oræ Tingitanæ poſt Rudderfordum gubernatorem ex inſidiis a Mauris occiſum.*

(c) *Eidem Jacobo Hiſpaniæ Rex obtulit antè præfecturam maris Hiſpanici.*

(d) *Anglia eundem repopoſcit; & ibidem renunciatur Præfectus maris.*

Obruerent undæ. In portum modò tutiùs Afrum;
Unde recens funem ſolvi, me reddere. Portu
Eſt Afro tamen Afra fides. Britannidis O te,
Rudderforde, animæ nimium! quis fœdere tanto
Virtûtem, Invidiamque Deus? ſine ſedibus Umbræ,
Ignotoque ſub axe volant; juſtiſque tuorum
Productus nullis ad Manes funere pergis
Cum toto. Sed creſcit ager ſub falce. bipennis
Non adimit ſylvam. & virtus attonſa refloret.
Auſpicio Princeps aberat. ſubit auſpice portum
Principe ſors melior. Cœlum (a) conterminus Afrum
Vertice torquet Atlas: humeris, Jacobe, recumbunt
Fata Britanna tuis. Tua viderit ut bonus Atlas
Vela mari diſtenta, ſuoque tumentia vento,
Piniferi acclinet juga verticis, Indigetemque
Fulturus jam nunc humeros demittere diſcat.
(b) Siſto. quid hoc? oleaſne Abylææ per juga rupis,
Et pacale nemus ſuccreſcere? Pallade vernat
Maurus ager: ſociamque avidus conjungere dextram
Tranſit in Europæum Afer. Britannia tangit
Prima focos, caput armigerum prætexere lino
Gaudens, & tenero verbenæ flore virentem
Per galeam cupidæ delibans oſcula gentis.
Vade age, major Atlantiade. Ut (c) caduceus armat
Howardi dextram melior! Convellere funem
Quid dubitas, Henrice? vehunt tua candida Pacem

(a) *Mons in eadem Mauritania, non admodùm longè.*

(b) *Henricus Howardus interea legatus deſtinatur ad Tafilettam Imperatorem Morochæum. De legatione hac agebatur quidem multò poſt aliqua, quæ narrantur in hoc poemate. Verùm Poeta utitur jure ſuo, & prænotione futurorum Vatum propria.*

(c) *De quantitate hujus verbi* caduceus *ſeu* caduceum *dubitatur a nonnullis. at venit a Græco* κηρύκειον, *ę in* d *mutato. & apud Syracuſinos, & Tarentinos eſt* καρύκειον.

Carbaſa

Carbasa, ventorumque Deam pelagique potentem.
In fluctus nos præterea projecimus uvam
Hesperidum domitam prælo, mactavimus agnam,
Et ventos inter volitant mea vota, tumentes
Velorum impletura sinus. Te mollia nobis
Æquora, te Venti faciles, te Vota redonent
Incolumem. (a) At, lateri comitem quem seligit Heros,
Quem tueor? Bruti pulchro de sanguine nomen
Agnosco charum Musis. Allabere puppi,
Æole, compositus. si peccet iniquior ala,
Quanta mihi & Musis referent suspiria venti!
Occupat interea speculas Tasiletta, liquentes
Prospectans longè campos. Quæ lintea ponto
Allabi cernes, terræque advertere, Florem
Gentis Hoardææ vicina sub ostia mittent.
(b) Gentis Hoardææ (1) titulos Norfolcia dicet,
(2) Regia dicet Hymen connubia, (3) Martia campi
Flodenses monumenta: (4) Sui moderamina juris
Dicet Honos meritæ commissa, (5) Tridentifer undæ
Imperium, audacique annus fatalis Ibero.
Gentis adest hic Vir tantæ genus. Unus avorum
Hic genus, hic merita & famam complectitur unus.
*Bella manu, Pacemque gerit.* Si fœdera Maurus
Excutit, accingi tempus, Jacobe; novoque
Oceanum videant fervere sub Hercule Metæ.
Caroleum robur serò doliturus Jarbas
Sentiat in virtute tua, & sub nomine tanto
Fati prima rudimenta. His Victoria signis
Advolet, hæc resonet circum tentoria Pæan.
O patria! O virtute tua, Britannia, semper

(a) *Legatum inter cæteros comitaturus unus mihi amicissimus, & gratissimus Musis*, Robertus Pughus de Penrin.

(b) *Hinc prodiere* (1) *Norfolciæ Duces*: (2) *Regiorum connubiorum fœdera*: (3) *Belli Imperatores*: (4) *Regni Marischalli*: (5) *Præfecti maris, ut præcipuè an.* 1588. *&c.*

Infelix!

Infelix? ſua quid toties in viſcera ſævit
Inſanus Corybas? O projice tela cruorem
Cognatum bibitura. ululat tuus, Anglia, Pæan;
Et nullos habitura Deos Victoria luget.
Statua Muſæ. Pegaſis illa? ſoror Parnaſſis? an altera Nice?
Frontis honos idem. ſociam par, nata triumphis,
Circumit umbra comam. An comitem ſibi Gloria legit
Provida cum Nice Muſam? O ingloria Nice:
Gloria, quàm nihil eſſe tui te, ſi tibi deſit
Muſa, putem! Muſæ debes Theti. quam vada fatis
Intinctam non eripiunt Cocytia prolem,
Eripiunt fatis Heliconia. Vivere vitam,
Quam rapient, dant fata. jubent revireſcere Muſæ
Plus vitæ cinerum e cumulis, quàm fata dederunt,
Quàm rapient eadem. Meritò tibi, Muſa, tibique,
Gloria, communes olim, & communibus aris,
Rerum apprima ſciens Myſtes adolevit honores.
Muſa ſapis: juris (Voti quæ præſes & autor)
Non oblita, graduſque tui. te ſceptra fovebunt
Regia, Parnaſſumque tuum. tu ſceptra fovebis
Regia, Caroleumque feres ſuper æthera nomen,
Phœbo dignum illud, clivoque bivertice toto.
Pandite (a) Muſæ Helicona; novoque exuberet amne
Per ripas noſtratis, (b) Iſis, ſacra lympha Meduſæ,
Caſtaliuſque alter, Cama. fortunatus uterque;
Hoc tu fortunatus, Iſis, mage nomine, quòd, cùm
(c) Fraterno ſocium per iter confunderis alveo,
Et par Oceano Londinum invectus aquarum
Agmine regales gemino præterfluis ædes,
Cæſar, (d) ave, matutino tibi dicere fas ſit,
Et veſpertino, Cæſar, vale. Nec ſatis eſto,

(a) *Utraque Academia, Oxonienſis & Cantabrigienſis.*
(b) *Iſis & Cama: hic Cantabrigiæ fluvius, ille Oxonii.*
(c) *Thamæ, in quem influit Iſis, unde Thamiſis.*
(d) Salve *dicebant manè, veſperì* vale. *Suetonius in Galba. c. 4.*

(a) Nobile

(a) Nobile par, patrio Carolum concludere fluctu.
Cærulei Patris ingreſſi confinia regna,
Mox campum nacti laxum magis, æquore laudes
Volvite liberiore: remotique incola ponti
Veſtra peregrinus canat ad modulamina Triton.
Occurret vobis ab avo Tyberinus Hetruſco,
Alpino de fonte Padus, cui carbaſa glauca
Intextus (b) Puer incendit, vagus Iſter, & Albis,
Increpitanſq; Ararim Rhodanus celer, & Tagus hoſpes,
Tempora cui vinxit myrto (c) Tarteſſius Hymen,
Cornuque aurato (feriet? jam (d) mitior ibit.)
Dives Iberus. Ut audierint animabile murmur,
Plaudent, & veſtro cupient de fonte renaſci.
Muſa, peregit opus, ſi me dignabere tanto
Nomine, ſi merui, Vates tuus. Ille ego monti
Adrepſi quondam parvus, laurumque momordi
Dente rudi, fateor, cupido tamen. ungula rorem
Sparſerit ut tenuem quondam mihi, ſic placitum Diis,
Viſa tamen ſparſiſſe. latex nunc aruit: & vix
Exucco ſupereſt guttans e pumice carmen.
Quale tamen cunque eſt, & qualiſcunque tenaci
Exudans e rupe labor, ſub regia munus
Limina defer. At illa comæ frondentis abeſto
Laurea pompa, cothurnatæque ſuperbia ſuræ.
In tenui ſudamus. amant excelſa cothurni,
Frontibus & veniunt doctis Heliconides umbræ.
Perge mihi, qualis, ſubducta meſſe, puella,
Et cui ſors obſcura domus, & curta domi res,
Relliquias frugum inſequitur, contentaque parco
Mergite fortuitos infert ſub tecta labores.
Talis es, auguſtæ talis mihi comeris aulæ:

(a) *Iſis Oxonienſis, & Cama Cantabrigienſis.*
(b) *Phaeton, in fluvium illum e cælo lapſus, intextus carbaſo.*
(c) *E nuptiis Luſitaniæ cum Anglia.*
(d) *Ob fœdus arctius cum Hiſpano nuper initum.*

Ut

Ut ſumptu, ſic ſorde vacans. E limine primo
Excubias ubi tranſieris, obſeptaque ferro
Atria, fortè tibi, nullam quia præferet urbem
Forma rudis, dentes inter rodentis ephebi
Attentanda via eſt. ſalſæ ſua ludicra pubi
Mitte. ſile; perges. Aditus ſecretior uſus
Quà graduum cæcos aperit, tacitique receſſus
A tergo fallunt aulam, ſubducta pudicum
Tende pedem. fervet nimio pars altera luxu,
Præſtringitque acies teneras. occurreret agmen
Inde virûm radiantum auro, coccoque madentum,
Arte laboratum varia genus: inde catervæ
Virgineæ, & cœtus Paphii nitidiſſimus ordo,
Gemmea gens, Erythra tota, totaque feriret
Ora Cypro. Tu cùm limen penetrale ſub horam
Lapſuræ lucis, fandi quæ mollior hora,
Contigeris, curis ubi ſparſerit otia Veſper,
Affatum pete. ſed modica, manus extera ſiqua,
Sive fores index moneat nola limen amantes,
Impellenda manu eſt. Converſo cardine valvæ
Ut patuere, ſacri ſimul & data copia vultus,
Occupet ingreſſum pudor, audentemque pudorem
Commendet rubor. Ille manum porrexerit è aude.
Pars tibi pacis erit. Plantis affuſa verendis
Et pacem tamen, & veniam pete; &, omine vultus
(Ut comis, placidoque affabilis ore renidet)
Accepto, *Donum*, dices, quod Phocide miſit
E patria meus, addictus tibi, Carole, Vates,
Dent proprium Superi. Medii tum pectoris effer
Ex adyto, teneràque ſub officioſa reductâ
Ora manu, dextræ Votum ſubmiſſa fideli
Caſtalium, Caroloque tuum committe clientem.
Munere ſic defuncta tuo, ſimul ille, reflexo
Ad lumen vultu, titulum frontemque libelli
Averſus ſecum ſublegerit, ocyùs illi
Multa rogaturo te ſurripe, perque ſilentes,
Quà ventum, demiſſa gradus veſtigia furtim

Ad

Ad portam refer. Ad portam ſtat lauriger Ales;
Et ſolitum fremit opperiens onus. exue villam,
Teque reſume: reviſe Deas Dea. Pegaſe Nympham,
Heroemque novum per ſolis utroſque Penates
Circumfer fremitu læto. Quid ſiſtimus? aſtro
Immortale tuo decus infer, & eripe terris.
Muſa, vale. interea, propior ſi viſcera quando
Intrarit Deus, ipſe comas cytiſove, apiove,
Seu viola evinctus (Phœbeia tempora Daphne
Illius ambierit potiùs, cui cygnus in ore,
Non in crine ſedet.) modici tibi thuris acerram
Interdum ſupplex adolebo: &, thurea laurus
Inter grana levi crepitu ſi parcius omen
Ediderit, ſat erit. perſperſero cùm ſale Veſtam,
Nectare ſeu molli perfudero, fortè ſub auras
Ter ſubjecta relucebit, laquearia que ictu
Feſtivo, tremulaque laceſſet imagine flamma.

Nec tamen exolvi munus. Subit alter, & ipſas
Naſcitur ad metas labor. O quàm læta laborum
Objicitur ſpecies oculis, & meta meorum!
Vitæ Mater origo: novæ fiducia Conjux.
Per Matrem vixit Princeps, in Conjuge vivet.
Sidere fatorum trahitur conſenſus ab uno.
Carole, te prenſant unum mea vota: Voluptas
Jucundo, Utilitas Opulento, & Gloria Pulchro.
Quid ſupereſt? ſiquid ſupereſt, dat Mater, & Uxor.

Mater ades. votis ades. (b) Heroina Britannis
Redditur, Henrici proles, cui patria nuper
Exilium fuerat. Terris ſponſalibus ut te
Luximus abſentem, luſtris eſt addita meſſis
Quarta tribus. Cupidis amplexibus Anglia primùm
Te, Princeps, ut ſuſcepit, ſex addita nona eſt.

ORDO
Sextus.
Statuæ tres: Reginæ Matris, Catharinæ, & Caroli. (a)

Statua Reginæ Matris.

(a) *Pyramis hìc contractior ſit trigona: & recipit ſolùm tres Statuas. Statua inde unica, quæ reſtat, viz. Vitæ æternæ, conſtituitur in ipſo apice.*

(b) *E Gallia in Angliam redux.*

Et memini, quamvis densa inter (a) funera longo
Consedissemus luctu, quos protinus almi
Sideris exortu induerit Britannia vultus.
Illa quidem, digna decisam ex arbore, tedam,
Nescia quò superi ferrent, ardebat Iberam.
Extincta est. Aliam auspiciis propioribus Hymen
Accendit novus. extemplo gens utraque flammam
Concepit: (b) gentemque, & dissociabile litus
Junxit Amor. nec enim thalami connubia Princeps
Solus init. nubunt ipsæ cum Principe gentes.
Octona dives Regina propagine. Cœlo
(c) Primitiæ debebantur. Sed fronduit, illo
Avulso, (ramus felicior) (d) aureus alter.
Quò minùs ereptum nobis doluisse decebat
(e) Natarum pignus geminum. Sed victima fato
Restabat duplex alter dolor, (f) unus, & una.
Define inutilium lacrymarum, define, Mater. (xvi
Quo gaudent numeri, est (g) numerus superè. Hactenus
Heu brevis & Genitricem ipsam! vixisse tot annos
Pars quota vita fuit? Nunc incipe vivere, Mater
In Nato: magna in Genitore, in Conjuge magna;
In Nato magna, & felix. Fortuna recedit,
Et redit: atque iterum fugit, ut reditura recedat.
Vos eadem, ut non pœniteat rediisse, revisit.
Digna malorum odiis fueras: superesse malorum
Digna vicissim odiis. O Filia sanguinis, Uxor
Sanguinis! & pariter poterat sitis, O bona Mater,

(a) *Grassante priore pestilentia anno, quo primùm Regina Mater e Gallia in Angliam venit nuptum Carolo primo.*
(b) *Edicto publico pax secuta.*
(c) *Carolus primogenitus moritur.*
(d) *Carolus præsens nascitur.*
(e) *Elizabetham & Annam mortuas.*
(f) *Henricus Gloucestrensis, & Maria Arausionensis.*
(g) *Ternarius sc. Carolus, Jacobus, & Henrietta.*

Esse

Esse tui? Sitis ardet. & iras urit inanes.
Et poteris meminisse, tuum cùm (a) classicus hostis
Impeteret caput, e cœlo quàm provida vulnus
Depulerit manus? in sacrum caput ignea venit
Tempestas. at in auctorem manus illa retorsit.
Ut dubio incedant Superi pede, dextera certa est.
Tiresias e Diis nemo est, seu numine lusco.
Quæ vitam Regi dederat, longæva perennet,
Et (b) vitam Regis vivat. Lætare. procellæ
Diffugere. Maria, redis. Britannia gaudet
Lætitias, Regina, tuas, te sospite, sospes.

Lætitiæ remeant veteres. Opulenta novarum
Accrescit seges. At Troiæ quàm pronuba tandem
(c) Juno favet nostræ! Memores (e Phocide famam
Musa retexe) Deæ memores libentur honores.

Statua Catharinæ Reginæ:

Jam veris portas recluserat aureus Helles
Portitor. (Ille quidem munus per Doridis arva
Sustinuit malè. sed pecudis jam viscera dudum
Alterius, saliens & cum Jove mica piarat
Vecturæ culpam.) Cum Vere Libystidis aulæ,
Ammonisque egressa cubilibus, ardua cœli
Regna revisura, Inachias Saturnia curru
Jungebat volucres. Cyllenius assidet Ales,
Fallere iter lingua solers. Et jam vigil Eos
Proxima per collis rosei juga præpetis alæ
Agnovit plausum. Patuere repentè Mariti
Longævi valvæ bifores. Subit illa, superbè
Læta. solum resono crepuit cœleste sub auro;
Quàque subit, verni floris nive semita candet.

*Parenthesis circa futuras nuptias.*

*Juno revisit e terris cœlum.*

Vestibulum, æterni pascit quem nectaris uber,
Eoum rivus præterfluit. hic, ubi prima
Luce diem vibrat in latices Cythereïus ignis,

*Refecta ex itinere adit Vitæ domum, si tam in Oriente, uti suprà Par. I.*

(a) *Cùm navigaret profuga ex Anglia.*
(b) *Qualem sc. optamus Regi.*
(c) *Præest nubentibus. Hinc illud*, Junonis aram pellex ne tangito, *Plaut. Amphitr. sc. 3. a. 2.*

Humorem exhalat tenuem: ſeque induit undæ
Halitus in nebulam. Nebula ros manat ab illa,
Cui Ganymedeæ non certent pocula cellæ,
Primaque Memnoniæ matris carcheſia tingit.
His poſtquam cyathis ſe regia proluit Hoſpes,
Protinus arrectæ vires: animique refectam
Interior *Vitæ* domus excipit. Aurea Vitæ
(Quid cedros, quid, quæ rupes adamantina fulcit
Tecta, quid artis opus Phrygiæ loquar?) aurea Vitæ
Oſtentat cœlum omne domus. Sinuatur in orbem
Ædibus in mediis, admittitque æmula cœli
Sidera, millenis diſtinctum ritè columnis,
Fornice quas millena pari committit iaſpis,
Atrium amœnum, auguſtum, ingens. E fornice pendent
Fatorum innumeri vultus, queis mobile Tempus
Fucos illevit primos, & Temporis Hora
Filia ſupremos fertur ſparſiſſe colores.
Hinc Zeno, Corydonque, paludatique Tyranni,
Et Lucina ferax, & teda flammeus Hymen
Succeſſus dubii diſcrimina, literulamque
Diſparis ingenii accerſunt, vitamque bicornem.
Fatidicæ laurus Phœbeia frondis honorem
Explicat in medio, formoſaque brachia Phœbi
Pandit in amplexus. hic matutinus odora
Cæſariem pelago rorantem comit in umbra.
Quæ ramis hærent immota, nec ætheris ictum
Formidant, Superis habiles his Numina vitæ
Ore legunt foliis animas. At ſidere lævo
Quæ ſtravere caduca ſolum, Mortalibus auræ
Impendunt brevius donum, & ſua fata reſignant.
Larga ſui Virgo nulli non eſſe beato
*Vita* dedit, doni miſeros uſura, breveſque
Nos facit. E cunis egreſſa Superbia bullam
Vix primam ſumit, cùm tendere protinus ardet
In rerum medios æſtus, at ſpuma recumbit
Mox ad Triſtitiæ petras. Damnamus iniquam
Atropon immitis teli. mea fila Libido,

Fila ſecant Iræ, & curis armata Voluptas.
Interea ſcenæ per ſummia virentis Ephebi
Mille volant; *Genios* appellat *Vita*. Camœnæ
Mille canunt, digitis agiles & voce Camœnæ.
Nec mora. deſiliunt. geniales inde palæſtras
Chryſolithi ludunt in pulvere. Tum pede plaudunt
Diverſæ choreas formæ, numeroſque, modoſque
Subtiles animæ plectrorum ad carmina fingunt.
Nec longum tempus. citus interpellitat Arcas:
Saltatrix CAROLUM, niſi fallor, litera ſignat.
Certè ſignat, ait Saturnia. Litera poſcit
Conſortem celebs. Nec plura. ſub arboris umbras
Turba redit Feſtiva. Thalia ſub arbore ſola
Conſidet, & ſeptem chelyn ad diſcrimina miſcet.
Totius inde chori Genios ex agmine *Vitæ*
Bis, numerum ſortita, novem legit. Igneus illis
Vertice ſurgit apex. e pura carbaſus aura
Membra tegit. tegat illa decentiùs, an mage nudet
Pulchriùs, incertum. virtus in pectore diſpar:
Et variæ in vultu Veneres. at ſpiritus idem.
Paſſibus extemplo moderatis æquor arenæ
Aerei fratres obeunt. tum dextera dextram
Implicat, implicitoſque Poli ſeptemplicis orbes
Septenis æquant ſphæris. tum, lege ſoluta,
Avertunt, dirimuntque chorum. Modò prælia (a) Pyr-
Præſagit, modò pacificum dat pulvis Ionem. (rhus
Hic numeros miſcet dubia fide ludicra Muſa,
Infringens, ſpargenſque ſonos: & carmen abortit
Inciſum, revocatque. jocoſi jurgia nervi
Componit. dein tota ſupervolat: ictaque plectri
Chorda tremit rapido ſub verbere. Fervida pubes
Emicat, inſultatque ſolo. mox lubrica ludum
Impediunt humilem veſtigia. mox ferit aſtra
Arduus ad cœlum vertex, iterumque, iterumque
Aſtra ferit. tremulo ſuſpenſa volumine planta,

*A Genii inquilinis per ludum ſubobſcurè repræſentatur* CAROLUS.

*Deinde per 18. ſelectos (duplum ſc. numerum pro Nominis literis) poſt aliqua prævia exhibetur* CATHARINA.

(a) *De Pyrricha ſaltatione, & Ionica Auctores varii.*

Decuſſanſque

Decussansque alterna vibrissat in aere pernix.
Præcipitat, texitque fugas pedis alitis error:
Cæca redit, fallitque aciem fuga. Jamque remisso
Sobria Musa magis percurrit pectine fila.
Sistitur. incedunt. (a) Medium diductus in orbem
Decedit sinus, & *fugientem* litera *Lunam*
Prima notat cornu extremo. sit litera *tristis*,
Sontibus, Exquilisque, malo quæ vespere cœnant,
Maia nate, tuis inimica. Sed area versu
Pulsa novo. (b) *Nigræ* succedit *Candida.* signat
Augustos *Triplex.* Prô Numina! (c) *Theta* Pelas-
At se castigat, vitiumque procacis arenæ (gum?
Expungit Genius solers. ut *anhelitus* afflat
Literulæ meliorem animam, *Latialis* & auræ
*Aspirat* vitam! Formam pede sedulus Erro
At modò quam fingit? (d) Trahit, Euoe, litera princeps
Litera *syrma* trahit. Tamen *Aspera.* stridet, & hirrit.
Mutato in *Lenem* vultu sed sæpe renidet.
Sic fovet alternis & terret amabile *Nomen*,
Terroremque amor, & terror moderatur amorem.
Nec tamen hic finem choreæ posuere. (e) *Columnam*
Definit in *triplicem* chorus aliger. *Extima duplex*
(Supremæ obliquâ committitur ima figurâ)
Expectat scenæ plausum. Gratare theatro
Nympha, Columna futura tuis, columenque futura.
Nec mora. se dextræ miscent; & ritè priorem
Circumagit sese Pubes genialis in orbem:
Ter versi ad Boream, ter ad Austros, & ter ad Euros,
Ad vestros, Zephyri, ter denique terque Penates.

*Accersitur ab Elysio Eros: castius sc. seu conjugalis Amor.*

Sevocat hic Comitem, attentamque affatur ad aurem

(a) CATHARINA *figuratur in saltatione.* C *Litera* Condemnans, *appellata* Tristis & Nigra. (b) A *Litera* Absolvens: *sed* Triplex, *quæ hoc in nomine reperitur, viz.* AAA *notabat* Augustos *olim.* (c) Θ *Græcum Litera* Lethalis. *At* TH *Latinum* Salutaris. (d) R. *appellata* Aspera. *atqui sæpe, teste Ovidio, vertebatur in* Lenem L. (e) *Sequuntur* I & N. Fata

Fata docens arcana Deûm Regina. Capeſſit
Juſſa Deæ Divûm Interpres. Talaria plantis
Innectit. Virgam dextra capit. Humida mater
Ne fortè opploret, *quo temperat aſtra*, galerum
Induit. In vacuum ſe proripit; aereique
Cæruleum Patris findens iter infima Terræ
Regna ſubit. Petit Elyſium. *Lugentis* Erotem
Degenerem *Campi* regem, fraudumque dynaſten
Præterit. Elyſii portæ patuere. recentes
Aſpirant auræ, Zephyriſque tepentibus halant.
Progreditur. viridi pendent Corytus & Arcus
Non procul e Myrto. Materna fuſus in umbra
Caſtus Eros cubat: Elyſio cui miſſus ab amne
Somnus adeſt, placidos & crinibus irrigat imbres.
Virga Deum monet. Exponit mandata. Monenti
Paret Amor, ſolitiſque repentè recingitur armis.
Nox erat. at facilem ſubituris æthera præbet
Utraque Luna viam. Jamque introgreſſus Eoum
Limen Eros Dominam extemplo petit. Illa Puello
In roſeo ſtupet ora, ſagittiferæque pharetræ
In vultu pondus. ſtupet aurea membra. ſed alas
Mallet abeſſe. Pudicitiæ quam tendere litem
Forma ſolet, vultu dirimunt in virgine mores
Ingenui, niveoque virens in pectore candor.
Ad quem ſic Juno paucis. Mea lilia cerno
In vultu, Puer alme, tuo. nec Cypria florem
Diva ſuum negat; at qualem Pudor imbuit oſtrò
Simplicis igne verecundo. Dicuntur ocelli
Eſſe duces in amore. Nitent ſi lumine puro,
Sint in amore duces. Geminum tua miſſile torquent
Lumina: ſed Feſcennino quod nulla veneno
Illecebroſa Venus tinxit, & non tua Mater.
Altera nec mihi tela vacent tamen: illa pharetræ
Tela tuæ. Exortem pharetra deprome ſagittam:
Et quali me figebas, cùm numinis Æther
Arma popoſcit, opemque tui: qua ſaucia tedas
Admiſi Jovis, & fulmen ſponſale recepi.

Quæ

Quæ reſtant fidam tacitè demittit in aurem.
Et modò (ſic monuere Deæ) non clarius unquam
Phoſphorus exeruit jubar: eximiæque nitentem
Lucis Odyſſeas radium deflexit ad arces.
At Puer advenerans materni ſideris ignem
Librat eò teneros artus: & fulguris aurei
Deſuper inſiſtens in vertice, mox leve pondus
Proclinans radio gemmatas explicat alas,
Et quatit. Idaliæ lucis quà ſenita ducit,
Continuum liquidas utriuſque per ætheris auras
Radit iter, ſeque Heſperias tranſmittit ad oras.
Fortè Ratem, refluente Tago, tulit unda Britannam
Gurgitis in fluctus aureos, aureamque ſuperbis
Fluctibus inſultantem ipſam. Suus eſt quoque Ponto,
Crediderim, famæ ſenſus. nec nullus, opinor,
Æquoreæ hanc Dominæ ſobolem pertentat avitæ
Laudis amor. Fuit hæc eadem, dicetque fuiſſe,
Quæ maris Heroem, quæ Fulmen Martis, & aulæ
Teutonicæ Florem, Defenſoremque Britannæ
Sæpe his Oceani vindex oſtendit in undis:
Hæc, inquam, illa tuæ quondam pulcherrima famæ,
Fortunæque, Ruperte, comes. Minor aura Favoni,
Quàm famæ, qua vela tument. Per nubila pronæ
Obliquans pennæ curſus huc devolat Ales,
Summoque inſiſtit malo. ſub Numine candent
Vexillorum apices, tremuliſque ardoribus undant.
Hic oculos poſtquam faciles circumtulit, amnis
Velivoli portum ſpeculatus, & undique montes
In medios aſurgentes e vallibus arces,
Et ſummo Duce, *multorum qui viderat urbes*,
Dignam urbem: ſe continuò collegit. arenam
Namque per adverſam currus in littore ſeptem
Contrà incedentes longè proſpexit: at horum
Præſignem ante alios unum. temo aureus, axis
Aureus: at, curru quæ federat, aurea longè
Virgo magis, totique Tagus quam prætulit auro.
Hæc illa eſt, hæc illa meæ deſponſa pharetræ.

*Devolat Amor ad oras Olyſſiponenſes: & nuncre ſuo fungitur.*

Dixit

Dixit; & arguta plumans face prodit arundo
E pharetra, radio similis. Quæ fila sagittam
Admisere, capillus erat de vertice triplex,
Iri, tuo, Euphrosyneque tuo de vertice triplex;
Et filum flammis, & flammis induit arcum.
Inseritur telum. Fortunam lumine certo
Sortitur. Nervum subitò diversa tetendit,
Atque arcum manus: hæc aurem, facis altera tangens
Extremos ignes. Teres evolat ignis in auras;
Quàque volat, gracili dat trames limite lucem:
Et medias inter cuspis delata mamillas
Attingit metam. Calet intima fibra, niveſque
Virgineæ; & vivax alitur sub pectore vulnus.
I Puer. Albus adest Hymenæus, & altera teda.
Salve, Nympha. venis. In nidum fœmina Phœnix
Regalis thalami volat. O te, Conjuge tanta,
Carole, (pollicita frueris:) te Conjuge tanto
Felicem, Catharina! Sacram manus altera Nympham,
Terræ orbem ingentem tenet altera. nobile pondus
Utraque. at ingenti Nymphe præponderat orbi.
Jactat opes Tellus, & opes circumsona jactant
Æquora; sed Nympham totus defluxit in unam
Totus in unam Æther. (a) Ingens de fluctibus, & te
Nobis, Tethy, querela fuit. tantamne licebat
Injecisse moram, & votis communibus undas
Oppositisse tuas? veniam damus. hospite, cujus
Exceptæ pretium noras, invita carebas.
Æstuat omnis amans; & Tethys amabat in æstu.
Litoreas circùm in speculis insederat arces
Anglia, spemque metumque inter suspensa, morantes
Velorum incusans alas. committere ventis
Vota necesse fuit. sed dum sibi quisque decori
Muneris ambiret laudem, inconsulta ruebant
Frontibus obnixi adversis in prælia fratres:
Et nobis oberant. Tandem venit. Auspicibus Diis;

Statua, *inquam*, Catharinæ Reginæ, & Statua Caroli altera manu tenentis Reginam, altera Globum terrestrem.

(a) *Diumorabatur in mari ob tempestates adversas.*

(a) Transfer limen amica pedes. Venit. & mora fœnus
Lætitiæ fuit. Ad ripas accincta sedebat
(b) Roma Deûm Matrem opperiens. in littore ponit
Illa pedem, tradenda viro, cui plurima virtus
Deferret primas. Tractus emensa profundi
Tu quoque mitis ades. Ripæ succede: Viroque
Committenda. Cui? Carolo debere; nec ultrà
Quæsieris. Sed te, Charitum placidissima, quam te
Appellem? Mater noles audire Deorum,
Seu genus. at gremio certè parit enthea siquos
Terra Deos, Reges sunto. Castissima Regum
Filia, solve sinum, & Regum lætissima Mater
Esse velis. VIVAT REX. annuis? aspice, rerum
Semina ut in varias abeunt æterna figuras,
Ut bellum cum morte gerit, fatumque lacessit
Se revocans, & se fœtu Natura propagans
Usquè novo. Et Carolum deberi legibus aiunt
Fata suis. Carolo quos Parca reciderit annos,
Instaurare tuum est. mansuræ dulcia vitæ
Pignora tu subicis, reficisque in prole parentem.
Alme fave Deus: aspirent felicia voto
Astra meo. (c) Concepti animo primordia mundi
Molitor rerum æternus cùm fingeret, undis
Spiritus incubuisse, animamque afflasse feracem
Dicitur. O lymphas Numen spirabile siquod
Accolit, ille tuas & spiritus incubet undas.
Nascere, parve Puer, seu nascere, parva Puella:
(d) Mensa digneturque Deus, seu Diva cubili.

(a *De hoc dicto nuptiali* Transfer limen pedes, *id est*, fer pedes trans limen omine cum bono, *Catullus.*

(b) *De hoc annales Romani.*

(c) *Hæc scripta, cùm ad aquas Tunbrigenses, & pòst ad thermas Bathonienses Regina pergeret prolis causa, an.* 1663.

(d) *Variè interpretes ad illud Virg. Eclog.* 4. *Sed Cerda opportunius in rem præsentem.*

(a) Nec

(a) Nec Deus (b) hunc menſa dignabere? Diva nec il-
Dignatura cubili? Oculis at deſilit humor (lam
Quis rudis ille meis? ſi terſero, rurſus eoſdem
In latices abeunt: nec mens malè provida novit,
Nube madens improviſa quid cogitet Auſter.
Induerant ritè in florem ſpes ſe modò noſtræ,
Cùm ſubitò cecidere. Venis: & deſeris, at non
Incomitata fugis. (c) Phœbum ſcitamur. adimus
Cortinam. Phœbus vocem & cortina remittit,
(d) *Oſtendent terris te tantùm fata, nec ultrà*
*Eſſe ſinent, Regina.* (e) Minas cum forfice ponat
Parca ſuas. Fato vivit Regina ſuperſtes.
Tergo genas. Medicus Vatem ſe luſit Apollo:
*Depellentibus & Divis* percuſſimus hœdum.
Quinta parte ſui ſic te Charis imbuat: æther
Sic foveat, noſtrique benignior halitus aſtri.

Converti-titur ſermo denuo ad Carolum in ſua Statua.

Ad te nunc redeo, Princeps, in prole futura
Bis patriæ pater. hac vivent in prole parentes:
Vivet in expreſſis ventura parentibus ætas.
Venturis capimur, capimur præſentibus. hæc nos
Afficiunt magis. Illa tuis te tempora ſiſtant
Præſentem, quæ tarda meant. Velocia currunt
Tempora, præcipitique agitant in tramite currum
Ardentes Horæ. quorum tamen agmine tanto
Implicuere rotas, radiiſque ſub omnibus hærent
Terrarum tot Vota, tuæ tot gentis Amores,

(a) *Occaſione morbi graviſſimi, qui Reginam pòſt invaſit eodem anno* 1663.

(b) Ille *contra Grammatices regulam refertur ad poſterius*, Hic *ad prius apud Ovidium.*

(c) *Conſuluntur Medici: & valetudinem enimverò deſperatam aiunt.*

(d) *Fatum anni* 1663. *ut ex numeralibus carminis literis patet; videlicet* M. D C. L V V I I I.

(e) *Tamen paulò pòſt Medicorum ſubſidio ſanitatem recuperat.*

Tarda, obicem faſſura, meant. Optare ſenectam
Vix lubet: optamus tamen. incuſamus adeptam.
Tendit iter nimis ad Cymbam declive Senectus.
Eſſe juventuti fertur quæ præſidet Hebe:
Nympha ſerena. O Elyſiis tantiſper ab hortis,
Cum lauro viridi, cum purpureo amarantho,
Huc ades; & (ſerò ſaltem Proſerpina canum
Quem norit) digni te Principis incola fies.
Quem tueor? Gentes perhibent ſub vertice mundi
Extremo poſitas, noctem inter fœdere pacto
Et lucem, in tenebris anni tranſmittere partem
Semeſtrem. (a) Lucis curru redeunte, ſepulto
Inſinuant orbi quæ gaudia! Plùs tua, Princeps,
Plùs quàm ſemeſtrem pepulit præſentia noctem.
Eſt tamen, eſt quæ me ſpecies tenet altera. Plantis
Inſcenſu facili ſubſternitur ardua moles,
Carole, non invita tuis, ut in æthera tollat.
Aut ſentit tamen, aut cernit, ſublime quod uſquam eſt,
Quæ doleat. Rex, epotos quem fama ferebat
Defeciſſe amnes prandentem, verbere numen
Qui ſævibat in Æolium, qui Nerea ferro
Vincibat, Rex ille jugi ſuperaſſe cacumen
Aſcenſu fertur ſolus, variabilis ævi
Ex alto contemplator, valleſque jacentes,
Et fuſum latis ingens in vallibus agmen
Proſpectu luſtraſſe. latent ſub Marte ſuperbo
Æquora, campi ardent, & fluctuat undique bellum.
Cernenti pulcher timor. E tot millibus, inquit,
Quæ modo ſol præſens videt, ut centeſimus unum
Non videat? Lacrymæ fatum increpuere ſecutæ.
Tu quoque, ſi libet, hoc, Princeps, e culmine gentem,
Imperiumque tuum circumſpice. Numine tellus
Sub majore jacet. Tractat manus altera Virgam,

Carolo in eo Pyramidis editione parte ſito objicitur memoria conditionis humanæ, quantùm ad mortalitatem attinet.

(a) *Qui latitiam ingentem ſubjicere oculis volunt, ſolem in tabula depingunt regiones illas reviſentem, adjecta inſcriptione,* Semeſtres tenebras pellit.

Diribet

Diribet & capitum ſortes. Hinc rura Coloni,
Hinc alas, cuneoſque Duces, hinc carbaſa Nautæ,
Hinc Proceres aulam oſtentant, hinc mœnia Cives,
Et fumum, ſtrepitumque, & opes. ſupèr e grege tanto
Poſt aliquot meſſes quotus eſt? Decurrimus omnes
In ſtadiis rerum variis, hæc fluxerit ætas:
Deficimus ſenio fracti, ſecloque ſequenti
Lampada porrigimus, menſeſque prementibus annis,
Hoc noſtri quodcunque vides, erit, (an mora tanti?)
Quod fuit. Hîc auri non parcitur. Et tua metam,
Occaſumque dies habet. Hinc, ut proxima nube
Obvolvit caput annoſum (a) venerabilis Ædes,
Cætera, quæ ſpectas, inter viden'? Illa cadentem
Pulchra ſitu ſpectat ſolem. Diſcedit ab illa
Invitus: lugetque tuam, Britannia, noctem.
Verùm age, quam ſpectas oculis, luſtrare juvabit
Et mentis greſſu. (b) Majeſtas aurea ſedem
Hanc habitat. prima Hîc Regum Diademata cudit
Dives Honos: Trabeas Hîc murice Gloria tingit:
Regales humeros Trabea, Diademate crines
Induit Albionæa Fides. Et te quoque nuper,
*Rege ſuo felix, & rebus læta ſecundis,*
His inſignitum donis Hîc Anglia vidit.
Et tamen Hîc pariter Libitinæ funebris aulam
Cernimus: auguſtuſque verendi Numinis horror
Percellit mentem. Dextris excuſſa refregit
Sceptra: triumphatis raptum de crinibus aurum,
Purpureiſque avulſa humeris inſignia Fati
Affixit portis, teſtudineoque revinxit
Imperioſa palatinos ſub carcere Manes.
Fare, Puer: Pompa illa ferox inciſa tremendo
Æris magnifici thalamo, monumentaque torva
Quem ſignant? Agnoſco. Toro illibata pudici
Floris, opum felix, & *plùs quàm fœmina Virgo*
(*tum*,

(a) *Weſtmonaſterium in parte Urbis occidentali ſi-*
(b) *Hîc Reges Angliæ coronari ſolent, & ſepeliri.*

Quo

Quo decumbit? Erat, cùm Virginis ossa cubarent
Molliùs. At fati brevioris ut altera fastu
Ambitur breviore Soror! Risistis Elisæ
Sidera: nec viduam tamen aversata Sororem.
Edwardus supplex? Quàm supplicis Anglia vindex!
Henricos novi. Spirat quæ Septimus ille
Funera? quàm noctem dormis, Henrice, superbam!
Hæc satis. O tot nominibus, titulisque decoræ,
Et dites, cumulos addam si pulveris, Arcæ!
Fumidus in nubes abiit vapor. igneus ille
Spiritus, extincta post tot molimina flamma,
Fit cinis. Ah, quàm sub terra solennia turget,
Dicere si Majestatis cum pace licebit,
Putre Nihil! Titulus phalerata novissimus Umbra est.
Mnemosynes cælo saxis incidimus ingens
Nomen. Et est aliquid, Dentem, qui cuncta ligurit,
Augustos vel sic retudisse. Sed hic quoque rosum est.
Vestra peracta: meæ peragetur fabula scenæ.
At caream plausu. mutum me garrula fama
Nesciat ignarum famæ. Regale Carystos
Funus obit. mihi sufficiet sine nomine cespes.

Occasione capta a Globo terrestri, quem Statua Principis in manu tenet, infertur præterea mentio conditionis humanæ, quantùm attinet ad fugacitatem rerum, & mutationes varias temporum.

Nec soli urgentur Reges. & Regna suburget?
Ad Manes rota Fortunæ, seu Temporis. Orbem
Regia dextra tenet. Fortuna volubilis orbem
Immotum esse negat, Fortuna Copernica. Quantos
Temporis & Sortis ludo meat orbis in orbes!
Usqueadeo quod stet nihil est. (a) Age, Musa, vocantem
Deficies? Vates ut inops, at pauper in ære

(a) *Fieri non poterat, ut consistentes in terra globum, quem Principis Statua in manu tenet, inspicerent. Præterea novum fuisset illum inscribi notis Cosmographicis. (Quanquam quid si extare dixero quid hujusmodi in statua quadam pervetusta Carlomanni?) Necesse igitur fuit confugere ad opem Musæ. versanti in Poeseos spatiis imaginariis permitti ista quandoque poterunt.*

Sit

Sit proprio. Aoniæ, quem limina ſæpe terentem
Advertunt, odere fores. tamen arte profectò
Pieria jam nunc uſus. Quem ſuſtinet orbem
Regalis manus, hinc propero tranſmittere viſu
Mens avet. at non tam volucrem levis aura Philetam
Ut contendat eò, tollet. tam lyncea vati
Non acies eſt, ut tangat tam diffita. Sentis,
Muſa, quid inde velim. propera. te, Diva, manebo.
Interea qui ſim, Princeps, fuerimve, cupido
Diſcere ſiqua ſubit: (a) Primum, figularis opella,
Argilla duxi e Samia genus. inde (b) Crotonem
Imperii accitu juſſum migrare paterni,
Edoctum quicquid dixere ſilentia, muti
Nequicquàm tenuit Senis exedra. Pòſt, ubi vultus
Humanos mors diripuit, quia frigidus illi
Obſtiterat ſophiæ, torpens ad fortia, ſanguis,
Alitis in faciem migro. ne quære doceri,
Quam faciem. huic aliæ demum ſubiere figuræ,
His aliæ. Pòſt, diverſos ubi ſecula ſoles
Extulerant, ſitientem auri me tradidit undis
Mercatura. vovebam undis caput, auſpiciiſque
Non aliis quàm ventorum longinqua ſequebar
Litora. quà Boreæ mundus conſurgit ad arces,
Quà Noton ad Libycum premitur, patet æquus ad Eu-
Viſere nimirum cupidus, qua Sirius annum (ros,
Parte coquit, nebulis qua Jupiter algidus urget,

(a) *Interim narrat ſe Poeta per varias Pythagoricas Metempſychoſes terræ partes diverſas olim peragraſſe, & ſic e Globo opera Muſæ parando, & repræſentaturo res, ut modò ſunt, veteribus non apparentibus, oſtendet rerum mutationes, & ruinas temporum. Metempſychoſes iſtas figmentum patet eſſe: imò intentas, ut quid joculare etiam in ratione figmenti. Simile quid accideret, poſt ſomnum v.g. mille annorum nunc demum ſiquis expergiſceretur.*

(b) *Urbem, in qua Pythagoras conſedit.*

Lubricum

Lubricum iter teneo. Félix, malè credula ventis
Si prudens norat ſubducere vela cupido,
In ruriſque modeſta quies ſublegerat umbras,
Vellus Iaſoniam petiiſſe, domeſtica nobis
Si modò balet ovis, quæ pellat frigora, vanum eſt.
Inſidiatur avaritiæ, ſubſternit & undæ
Tethys avara fidem. ſenuit quæ proſpera, rara eſt.
Spes procul una meas tulit arbor, & abſtulit una.
Æquore nolentem ſicco, patriiſque perire
Vermibus ignoto piſces in gurgite (a) lambunt.
Hic ubi gentem inter liquidam, tractuſque per ævi
Multiplices varios indutum ex ordine vultus
Marmoreo miſerum tenuit ſub carcere Proteus,
Tandem undis ereptam animam miſerata refecit
Sors melior, reducemque homini devexit in oras,
Te compenſantem ſeclis tot euntibus unam,
Anglia pulchra, tuas. An adeſt Dea? Terrea mundi
In promptu moles? At te, bona Pieri, thuris
Mica manet, vivoque ardens in ceſpite carbo,

Allatum a Muſa globum contemplantur.

Reſpice quod ſuſtentat onus tua dextera, Cæſar.
Hæc illa eſt, hæc, tam dubio qua luditur actu,
Fortunæ pila; Cæſareis nunc obvia palmis,
Accurſu Dominæ rapido nunc avia pulſans
Sphæriſten alium. (b) Fugit te, Carole, nuper.
Aſſerva reducem. Hoc illud, quod dicere Punctum
Non piget; & multo partimur limite, ferro
Dividimus tamen. Immenſus ſine limite Mentis
Ambitus eſt. huc inde tamen compellitur omnis
Linea votorum. Exiles ſuus urget habendi
Formicas amor. has per agros, & farrea caſtra
Ferventes opere anguſto ridemus. & ipſi
Formicæ ſumus. ingentes molimur arenæ
Heſperiæ cumulos: Libyæ populamur acervos;

(a) *Aiunt ſcioli Piſces non lambere: quid linguam non habent. Virgilium ſanè iſtud fugit.*
(b) *Pila, ſcilicet, de qua modò.*

Auroræ

Auroræ ſpoliis cupimus diſtendere cellas:
Et ſola terrarum, & maris omnis ſemita fervet.
Grandia ſunt nobis: in ſe non grandia, parvi
Nos ſumus. Hæc eſt illa ſuo ſe pondere librans
In mundi medio Moles, properantis Olympi
Inde fugam circa ſe ſpectat: & ipſa moveri
Mobiliore fuga non ſentit. An hoc Phryges olim,
Hoc Agamemnonii faſtus, hoc acer Achilles
In campo ſteterunt? ubi ſunt? Ubi fervidus ille,
Et vaſtus juvenis, mundos Pellæus anhelans,
Quem Gyaros hic in parvas compegerat unus?
Hos rupit ſcopulos, hanc Alpem Luſcus aceto?
Afer ubi? Num ſtraverunt hanc totius undam
Nutantes Aſiæ ſylvæ? Num paſſa Tyranni
Hic Thetis alta rotas, Seſtoſque occurrit Abydo?
Medus ubi? Et quoties tua, Princeps, Anglia ſeſe
Dat nobis in conſpectum! Rhamnuſidis aulam
Dixeris. Ah, quoties poſuit Britannia Trojam!
Circùm ingens obit Oceanus. Quantum inſtar in illa!
O (a) Galatea venuſta, *nimis ne crede colori.*
Decolor (b) heu quanto (vereor) mox ſanguine fies!
Aſt age: propoſitum premere, & reflectere tempus.
Quem toties obii quondam, propiore viator
Curriculo placet, obtutuque remetiar orbem?
Mirabar gentes equidem, mirabar & urbes,
Et veterum monumenta virûm. Ne vileat orbis
Hæc ſpecies. ſuus hoc Naturæ *Mundus* in orbe eſt.
Hic tibi, quæ mecum, Princeps, mirabere, ſiſtam.
Ganges ille? freto quantus tumet! inde quot undas
In nomen cogit dominum tranſire minores!
At Cyri furiis minor. Hinc in proxima Chinæ
Litora ferre gradum lubet? hic quàm pulchra tuentem
Et populorum, & opum, & morum te paſcet imago!
Nec populos, nec opes, nec eoſdem Machina mores

*Notantur aliqua loca in Globo.*

*China.*

(a) *Anglia ſcilicet.*
(b) *Ob pralia maritima ingruentia.*

Reddit. an & Samio migrant ſub (a) numine terræ?
Tartarus (b) hæc loca miles habet. ſub Tartara ſidunt
Ætherei, (c) cœlo demiſſa colonia, Sinæ.
Tendere forſan in Ægyptum, & fœcunda Canopi
Arva placet, Phariaſque urbes. At curſus eunti
*Mauſoleum Cariæ.* Per Lydos, Caraſque breviſſimus. Hic tibi cœlo
Marmoris eductí fabricam, luctuſque ſuperbi
Objiciet monumentum ingens Mauſolia conjux;
Inferias immortales. Vah, rupibus ipſis
Nulla, ævo incumbente, fides. Mauſolus ad imos
Pondere ſubſedit Manes. damnata laboris
Siſyphii ſaxo ſentit Regina caduco.
*Templum Dianæ Epheſinæ.* Siſte pedem. feret hæc Epheſum via, Terminus inquit:
Qualem Epheſum! cœli quam dicitur arce Diana
Poſthabita coluiſſe, pharetratique Aracynthi
Virgineo legiſſe choro per ſecula ſedem.
Hic opus, hic Ædem aſpicies. mirata vetuſtas
Centum illam linguis cecinit. centeſima tantùm;
Quod cecinit, pars eſt. Aſiæ domus, ardua vaſto
Suſpectu, ſublimem Ædes evecta ſub axem,
Et gemino Divæ faciens commercia regno,
Ceſſa, ingens, operoſa. tuas, Diana, ſagittas
Scilicet haud timuit Pater. hæc ſi culmina Tellus
Extulerat, nova terrigenam in certamina cœlo
Venturum ſuper horruerant Jovis atria Martem.
Et par materies operi. quodcunque triformis
E variis titulorum adytis evolvere Nympha
Quiverat, e ſylvis Dictynna, Tonantis Averni
Ex antris Hecate, e cœlo Titania Phœbe,
Splendida Phœbe, opulenta Hecate, Dictynna venuſta;

(a) *Nam inſtar cujuſdam Dei Pythagoras habebatur a populo.*

(b) *A Tartaris non ita pridem ſubacta.*

(c) *Sic aliqui ex illis memorant, quemadmodum legiſſe videor: nolentes nimirum aliunde originem primam gentis ſuæ repetere.*

Hîc

Hic tibi cernere erit. Ludor. (a) veſtigia cerno
Temporis. hàc & itum pariter; Lunamque Diana
Senſit. Ferre illac aciem, greſſumque libebit.
Ægypto tandem ſucceſſimus. Obvia Nilus
Oſtia pandit, & hoſpitio ſeptemplice feſſos
Excipit. agnoſco pictis conſtrata phaſelis
Rura, ſuique nihil debentia nubibus arva.
Muneris eſt hoc, Nile, tui. tu cornua ſaltem
Vertice tollis adhuc & gurgite curris eodem;
Quæque fluunt, manſere. tuis in fluctibus olim
(Jam propè bis centum luſtris acceſſerit ætas
Septima, ſi memini: famam quoque deterit ætas.)
In Pharium Auſonio migrans e conſule nautam
Lentavi remum. Pharii juvat ire per ævi
Nomina, Niliacæque oſtenta reviſere terræ.
Dic age, laudatam venis quæ proxima Copton
Oſtendet via? quæ Saim compendia ducent?
Eſt & amor Bubaſtim altam, pulchramque Syenen,
Tentyraque, Arſinoenque, & cum Ptolemaide Pellam,
Et Solis luſtrare tholos. Ceſſiſſe recordor
Auletas fato, Lagos ceſſiſſe: nec ipſos
Reginæ crines a forfice forma redemit.
Uſa tua, Cleopatra, manu te Parca totondit.
Præ reliquis gens hæc prudens tamen, obviaque ævo
Mortalem, memini, transfert in marmora vitam:
Pyramides dicunt. juvat & lapidoſa tueri,
Aſſurgentiaque in cœlum miracula, moles,
Memphi, tuas. citimo facilem de culmine nomen
Buſto, Nile, tuo referens inſigne Canopus
Deſpectum dabit. At quid ago? quò ſiſtor? in ipſa
Ægypto Ægyptum quæro. monumenta requiro
Priſtina. cuncta ſilent; latratque nec ullus Anubis.
Tempore cuncta ſuperfuſo latuere; patentes
Pyramis inſtravit campos, cum mœnibus urbes,

Ægypti Urbes, & Pyramides.

(a) *Proditur quidem aliqua parte conflagraſſe. ſed reſtitutum poſt reſervabatur injuriis temporum.*

Templaque procubuere. Sacris ſua Numina in hortis
Si naſcantur adhuc, ſatis eſt. Veſtigia retro,
Nile, ſimul refer. ut video, quod naſcitur, ortus
In veteres totum redit, & cunabula prima.

*Mentio item fit Mundi quatuor Imperiorum.*

Moles e faſtis Ævi profertur ad auras
Grandior, Hebræus famæ quam prodidit augur;
Moles Imperiorum ingens. Ardebat ab auro
Excelſum caput: Argento porrecta nitebant
Brachia, pectoreique tori: Candebat ahena
Luce ſuum cum ventre femur: Tum robore ferri
Indomito ſuræ inferiùs, plantæque rigebant.
Ætatum labor. at, figulus quod vendicet, addit
Extremus. Ferri ceſſit rigor, excidit æreo
Cum candore nitor argenteus, aureus ardor,
Nec ſua corporibus ſolis irrepit, & ipſi
Inducit menti rugam vitioſa ſenectus.
Septem inſiſtebant colles, mundique premebant
Colla Pedes, donec virtus, & laudis avitæ
Subjiceret ſtimulos amor. hæc veſtigia palmæ
Lambebant, his hærebat Victoria plantis,
His mundi prædatrices in collibus altè
Ponebant Aquilæ nidos. Ut languit ardor,
Marcuit & famæ, ſenio detrita, cupido,
Romulus ut Roma ceſſit, diſcinctaque tandem,
Et ſublapſa retro deſedit in otia virtus,
Continuò figulum plantæ ſenſere, fuitque
Roma. Palatinis Aquilæ deſcendere juſſæ
Montibus Hercynii ſaltus fugere ſub umbras.
Et ſaltus hos (a) excutiet (prô, Romula ſurge
Antiquam referens virtus in Teutone Romam)
Odryſius latro? Roma jacet. teſtacea verſant
Motibus his hæ ſecla vices. Et Roma jacebis
Altera. mox erit, infidæ cùm marmora Lunæ
Et tua diripient, Othomanne. ſilentia portis

(a) *Hæc ſc. ſcripta ſub id tempus, quo Turca Germaniam, & Hungariæ fines invaderet non ita pridem.*

Incumbent

Incumbent, Letheque tuas ſua præfluet arces.
Stet licet, at tranſit tellus. it mobilis æther,
Non tranſit. Terram ponat manus. aptior illi
Pes erit. atque ipſis, niſi mens mihi falſa, pigebit
Inſtabilem pedibus ſubſternere, planta fugaci
Nixa, ſolo fallente, ſimul fugit. Ætheris orbem
Suſpice. ſpem non ille, fidemve fefellerit orbis.
Cætera, (a) ceu per aquam pinus, ceu penna per auram,
Ceu per eandem actu rapido delata ſagitta,
Diffugiunt. pulſu nervi ſtridentis arundo
Dividit auram, auram penna cita dividit ales,
Currit iter ſpumans, & dividit æquora pinus.
Aura coit, coit unda: nec hanc manſura, nec illam
Semita ſignat. abit ratis, ala, volatile telum.
At vatem incautum! quid ait? quo concitus æſtu?
Vox generoſa: ſed imprudens. Ut regia terram
Deponat manus? ut pedibus ſubſternat? at illa
Nos ſumus. O longùm teneat manus. Ætheris orbem
Suſpice: ſerus adi. ſeros cùm longa ſenectus,
Fata tibi quos annuerint, expleverit annos,
Tunc aſtrorum arces aureas adiiſſe licebit,
Tunc terram poſuiſſe; ſed ut manus altera munus
Excipiat, patriæ ſuppar, & Carolus alter.
Interea quàm larga ſui, quàm pectore prono
Spontè ſinum tibi pandit, opeſque Æonia ſummo
Inſiſtens apici æternas! Æonia, vitam
Nulla tuam nevit Lacheſis, nec volvitur ætas
Turbinis arbitrio. Miſerum me! cujus opimæ
Spes & opes filum eſt. Roſeo quis candidus illum
Sol vehet axe diem, immunes cùm forficis annos,
Et, Dea, te vivam? Interea Babylonis ad undas
Hic ſedeo, ſociaſque oculi liquuntur in undas,
Lætitiæ chelyn & longè ſuſpendo, Sionis
Dum memini, mea Vita, tuæ. Vos O, quibus æquum
Hinc abiiſſe dedit Numen, quos extulit ardens

Invitatur Princeps ad ea, quæ permanent.

Statua Vitæ æternæ in ſupremo Pyramidis apice.

(a) *Similitudines ſumptæ e Sap.* 5.

Ad

Ad ſedes illas, & lucis ad atria virtus,
Qui noſtis, quo pleni eſtis, demittite lucis
E cœlo radium exilem, quo (nube ſubacta,
Quæ modò caligat circùm) & mihi noſcere detur,
Quæ loquar. Hic totum in voces Helicona movere
Mens erat, audebamque amplè de Numinis aura,
Nec de Fonte minùs promittere: neſcius omnem
Nec laticem, Aoniaſve animas, nec Phocida totam
Poſſe vel hiſcentem nobis in carmina Muſam
Sufficere. Inconceſſa peto mortalibus. Ergo,
Diva, verecundi vatis te lingua ſalutet,
Et taceat. Quis enim lingua comprenderit, aurem
Quæ fugiant, lateant oculo, quò tendere ſenſu
Mens nequeat? Te, vera penes te Gloria, veræ
Utilitatis opes, terris incognita noſtris,
Cognita cœlitibus, non enarranda Voluptas.
(a) Auribus inſonuit noſtris creberrima vitæ
Fama tuæ. Terræ ex utero, limoque recentes
Egreſſi primam cœli vix hauſimus auram,
Cùm redeundum eodèm ſubitò monet hora, ſeverè
Conclamant & vaſa tubæ. Miſeratus ab alto
Sortem ærumnoſam vitæ melioris ab arce
Extulit ætherea ſignum Deus: affore quondam
Pollicitus, cùm depoſiti rea Terra ſepulti
Commiſſum pignus, Morſque adjurata rapinam
Redderet. Exoritura dies, cùm læta reſumet
Exuvias Anima, & nunquam poſitura reponet
Conſortem cœlo terram. Non ampliùs illam
Offendent tribuli, & ſpinæ: non ampliùs imbre
Perfundent mœſto lachrymæ: non ampliùs atro
Funeſtabit ab igne cinis, nec buſta, nec urnæ.
His adeo in ſpem promiſſis erecta, futuræ
Muncra prælibans vitæ, Natura madentes
Tergebat vultus. Et jam ſublapſa per orbes

(a) *Inductionis ſequentis ſcopus eſt, ut ſignificet, quæ ſpectant ad Vitam futuram, inenarrabilia eſſe.*

Millenos

Millenos quater & ſupra fluxere ſub aſtris
Secula, cùm deſideriis haud mollibus icta,
Ægra trahens longo jamdudum gaudia voto,
(a) Legatum e terris ad te, qui certa referret,
Inviſum te ſpeſque ſuas, Æonia, miſit.
Ille globum Lunæ pernix, & ſidera præter
Tranſcenſu rapido vehitur. Manus obvia pubis
Aligeræ, Empyriique Lares, & tertius æther
Excepit venientem. O divitis atria mundi!
Quàm nihil eſt, punctoque minus, quo terra ſuperbit!
Jamque dies aderat, ſedis cùm vertice lapſus
Sidereæ terris ſe redderet Hoſpes, & ipſum
Se repetens idem. Accurrit Natura, metuque
Ora tenet ſuſpenſa. Quid, O pulcherrime rerum,
Quid ſperamus? ab ore tuo mea gaudia pendent.
Ille oculis relegens quæ liquerat, Audiit, inquit,
Mortalis, (b) quæ mortali non ore licebit
Verba loqui. preſſæ hæſerunt ad cætera voces.
Quàm ſumus elingues, Dea! nec Facundia mutam
Se negat ipſa. Silere jubes; & pareo. Pulchra
Diceris, & felix, & nullius indiga, Fati
Fortunæque omnis ſecura. ſed, hei mihi, nubes,
In medio nubes obtenditur. Olim erit, umbra
Dimota, cùm te videam: cùm corporis hujus
E cavea, ex antro tenebroſæ noctis ad illam
Aſpirem lucis patriam. Non totus obibo,
Cùm moriar. repetet terram pars altera, cœlum
Pars melior. tuba cùm clanget ſupremа, reſurgam
Qui cecidi, & totus vivam; nunc ſedibus exul,
Diva, tuis, at ſpe civis, plenuſque futuri.
Reſpice. non longinquus abeſt. te Carolus ambit.
Naſcentem Aſtra ſuum ſcripſere: magiſtra probabit
Viventem Virtus; morientem Æonia letho
Eximat. At ſerò moriturum vivere noſtra

(a) *D. Paulum.*
(b) Arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Intererit;

Interierit. quantùm interierit, si pignoris amplam
Usuram nobis permiseris! ille, fatemur,
Se tibi debet. & est, nobis quod debeat idem.
Sublimem (a) medius visu metitur Olympum,
Et terras. Humiles (esto) sunt, Carole, terræ.
At, justis æquam si votis annuis aurem,
Nos tantisper ama, dicunt, & fidera differ.
Exegi paucis opus. At fortuna laborem
Quæ manet? incertum. Sacram quæ postera (b) molem
Fata manent? flabunt venti: cum dente maligno
(c) Falcem ad radices aget invidiosa vetustas.
Stabit: & in seros Votum missura nepotes.
Hæc ego. Permessum Thamisino litore mutans
Hæc mea succinuit jam depontana Camœna.
Hic illam, Princeps, qualis sit cunque, repono:
Emeritamque tuis suffigo postibus artem.
VIVAT. fatidicus cecinit præsagia Vates.
(d) Siquid habent certi Vatum præsagia, VIVET.

(a) *Ejus quippe Statua cum duabus Reginis proximè infra Statuam Vitæ æternæ.* (b) *Pyramidem sc.*

(c) *Falx est etiam instrumentum bellicum, quo suffossores utuntur ad muros subruendos. Veget.*

(d) *Carmen ab Ovidio magna est parte mutuatum. & præsagium continent literæ numerales, sumptum, si advertis, ab anno, quo Princeps nascebatur, videlicet* M. D C. VVVVVIIIII.

FINIS.

*Erat solenne veteribus ad Monumentorum dedicationes ludos aliquos instituere, quorum exemplo constituebam etiam ipse facere ludos. In his committere proposueram Vitam & Mortem munere saltatorio: & hanc quidem formâ Pueri, ut suprà e Pausania, ad Pyramidem arma deposituram. Labor fuisset aliquis in apparatu instruendo, ingeniisque utriusque exprimendis, fingendisque tripudii motibus diversis, &c. At non istuc me deterrebat. Videbatur dramati, seu scenæ res ea magis, quàm huic loco convenire. Præterea in toto opere a fictionibus istiusmodi, quæ multi certè negotii non erant, consultò me prohibui. Ut separatim id postea fiat, persuaderi mihi facilè poterit.*

Aliqua alia, quæ ſupererant emendanda.

| | |
|---|---|
| P. 10. l. 7. *Communem ad gremium* | Lege *Commune ad gremium* |
| P. 39. l. 30. *fors* | l. *fortè* |
| P. 57. l. 12. *Mille colorum obicre doli,* | l. *Mille nitorum obeunt auræ*, ne committi videatur tautologia aliqua præcedentium. |
| P. 70. l. 27. *fors* | l. *fortè* |
| P. 119. l. 11. *& crudelibus addimus ipſi Ingenium fatis.* | l. *teloque accerſimus iram, Ingeniique aciem.* ob rationem mihi notam. |
| P. 129. l. 14. *validaſque* | l. *& validas* |
| P. 131. l. 15. ad verbum *acclinet* Nota Ovidium etiam uſum eſſe in eodem ſenſu. *Vitis acclinat ſe ad terram.* | |

Noveris inſuper caſu malo deeſſe, quæ pag. 159. poſt verſ. 33. inſerenda erant, carmina certè non pauca, quibus amplè repræſentaretur in cæli theatro *Regius Anglorum chorus cæleſti regno donatus*, cum inſignibus meritorum cuique propriis, &c. invitans inde ad ſocietatem *Vitæ ſuæ æternæ* Principem noſtrum. Deinde immutationem aliquam carminum proximè ſequentium ad rem aptiùs accommodandam propoſito. Hæc, inquam, deſunt cum Poëmatis aliquo incommodo. *Tum* Exegi paucis &c.

Erratum fortè si quid fuerit, quòd opus hujusmodi ego susceperim: Erratum porrò istuc sic corrigendum.

*Alne Sol! Ad me redii. tuaque*
*Lucis ut latus radium revisa!*
*Nam tua multus malè somniavi,*
*Phœbe, sub umbra.*
*Laurei, fontem prope Pegaseium,*
*Nuper ingressus nemoris latebram,*
*Dormii. Ad ripas fluit Hippocrenes*
*Et sua Lethe.*
*Sum meus tandem. pudet haud fuisse.*
*Incutit tergo Metanœa virgam.*
*Tu tamen sævire, severe Lector,*
*Desine velle.*
*Somnii vibex sine bile nulla*
*Expiet noxam? * Gyaros faceſſant*
*Otii cani resides opellæ:*
** Anticyramve?*
*Hæc opus non est. cerebrum redemi.*
*Si tuus pergit furere ostraciſmus,*
*Exules gerras propiùs releget*
*Ad Piper, & Thus.*
*Quæ vigil peccat, nota nigra damnet.*
*Culpa sopiti levior. Sopori*
*Multa connivent. suaque ipsa lustrat*
*Crimina laurus.*

* Seu in exilium:

* Seu ad helleborum?

Fortè

*Fortè nec ſaltem mediâs tabellas*
*Abnuet Cenſor. Tenuare culpam*
*Attamen nolo. Pharetram tenentis*
*Siſter ad aras.*
*Et Lyram tractat Patareus, & Arcum.*
*Numinis mulcet Lyra: terret Arcus.*
*Audiat Diana. TENENTIS ARCUM*
*Siſtor ad aras.*
*Tango Cyrrhææ Nemeſis ſagittam.*
*Somniet poſthinc NEOPORTUS unquam:*
*Non Dei tantùm, licet omnis aurem*
*Vellicet unguis.*
*Plexerint ungues modò? Poſcit Arcum*
*Hoc ſacramentum. Niobes alumnus*
*Sim licet, Python licet ipſe, ſacræ*
*Præda pharetræ.*
*Deprecer Pythona tamen. Sat eſto,*
*Sim meæ partus Niobes, Camœnæ*
*Partus: & mutæ Sipylus Camœnæ*
*Obſtruat ora.*

---

Remiſit æſtus. Frigidam affundis tamen?
At unde ſumptam? Videris.

---

* Te nimis, Vates, cave crimineris.
Aſſidet Lictor. Pede metiatur
Se ſuo Carmen. pede, quo cucurrit,
Stetve, cadatve.

* *Ita non rarò ſit, ut ex Auctoris demiſſione criminoſa de opere ipſo præjudicet crudus aliquis Lector, & faſces intentet; ignarus, inter Poetæ modeſtiam, & Poema ipſum quid interſit. De judiciis Eruditorum fatetur ſe non admodum ſolicitum eſſe. Norunt, ut in arte perquam difficili, veniam & petere ipſi, & dare viciſſim.*

---

Quod quiſque ſibi debet, remittet facilè idem ipſe creditor. Hoc idcirco dictum, quòd ſunt, qui opinantur e priſtinis Auctoris lucubrationibus tranſlata quædam eſſe in hoc opuſculum. At pro certo habeant debere illum Muſis priſtinis omnino nihil; nec unum, ne medium quidem carmen, ex omnibus, quæ unquam antè compoſuerat, irrepſiſſe in has chartas. Sed & hoc non attinebat attexuiſſe.